









THEOLOGIA MORALIS

JUXTA SACRÆ SCRIPTURÆ, CANONUM, ET SS. PATRUM MENTEM,

Jussu Eminentiss. ac Reverendiss. Stephani Cardinalis LE CAMUS Episcopi Gratianopolitani, Gallica lingua, & deinde Latina exarata,

AUCTORE

FRANCISCO GENETTO

Avenionensi, Episcopo Vasionensi.

EDITIO NOVISSIMA

A plurimis aliarum mendis diligenter expurgata, & præter varia Conciliorum Provincialium, Synodorumque Italiæ Decreta, omnibus BENEDICTI XIV. & CLEMENTIS XIII. Constitutionibus ad rem moralem pertinentibus nunc primum illustrata.

TOMUS SEXTUS

Continens Tractatus de Lege, & de præceptis Dei in genere, ac de quatuor primis mandatis Decalogi; duas BENEDICTI XIV. *Constitutiones circa dies festos servandos tempore Nundinarum, & Mercatuum; & varias alias Bullas, Litteras circulares, & Decreta.*



BASSANI, MDCCLXXV.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, & Quæstionum
TOMI SEXTI.

TRACTATUS PRIMUS.

De Lege & Præceptis divinis in genere.

CAPUT PRIMUM.

De Lege æterna, naturali & positiva.

CAPUT II.

De definitione & Divisione Decalogi.

CAPUT III.

De obligatione servandi Præcepta Dei in Lege gratiæ, & de eorum facilitate.

TRACTATUS SECUNDUS.

De primo Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

De Fide.

CAPUT II.

De Spe.

CAPUT III.

De Charitate.

CAPUT IV.

De Religione.

CAPUT V.

De peccatis contrariis virtuti Religionis.

TRACTATUS TERTIUS.

De secundo Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

Definitio & divisio Juramenti.

CAPUT II.

De conditionibus necessario requisitis, ad hoc ut juramentum sit licitum.

TRACTATUS QUARTUS.

De tertio Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

De institutione diei Sabbati in lege veteri, & de ejus mutatione in diem Dominicam tempore legis novæ.

CAPUT II.

De sanctificatione Dominicæ, & Festorum.

CAPUT III.

De causis, propter quas possunt licite exerceri opera servilia diebus Dominicis, & Festivis.

CAPUT IV.

De iis qui cooperantur peccato eorum, qui dies Dominicos & Festos non sanctificant.

TRACTATUS QUINTUS.

De quarto Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

De officiis, seu debitis filiorum erga suos parentes.

C A P U T II.

De obligationibus parentum erga filios, & domesticos.

CAPUT III.

De officiis, seu debitis inferiorum erga Superiores suos Ecclesiasticos, civiles, & domesticos.



TRACTATUS PRIMUS
DE LEGE,
ET
PRÆCEPTIS DIVINIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De Lege æterna, naturali & positiva.

Quæst. 1. UID est Lex in genere?
Resp. Ex Sancto Thoma (2. 2. q. 4. art. 1. in corp.): *Lex, quædam regula est, & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Hæc definitio per se satis clara, clarior tamen fiet ex subjectis diversarum specierum legum divisionibus.

Quæst. 2. Quot sunt species legum?

Resp. Dividi possunt leges in tres species, scilicet in legem æternam, naturalem, & legem positivam. Hæc postrema dividitur in legem positivam divinam, & legem positivam humanam. Potest insuper subdividi lex positiva divina in legem veterem, quæ dici solet Lex Moysis, & in legem novam, seu Evangelicam. Præterea Lex positiva humana duplex est, altera Ecclesiastica, & Canonica, altera civilis, & politica.

Quæst. 3. Quid est lex æterna?

Resp.

Resp. Hanc explicat S. Augustinus, cum ait (*l.* 1. *de lib. arbitr. c.* 6.): *Lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri ... ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima*. Lex hæc æterna dirigit creaturas omnes modo sibi convenienti: quare creaturis ratione carentibus manifestatur sola executione decretorum hujus supremæ legis, quæ illis propensionem imprimit, qua necessario cooperantur ordini, quem Deus in universo constituit: at creaturis ratione præditis manifestatur hæc lex per participationem divinæ sapientiæ, & radiis luminis hujus, quod ut dicitur Joannis 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Et ita *suscipiunt*, ut ait S. Augustinus (*l.* 1. *de lib. arbitr. c.* 6.), *æternæ legis notionem, quæ impressa nobis est*. Authoritas hujusce legis creaturas omnes, sine ulla prorsus exceptione, complectitur. 1. Etenim Scriptura testatur, eam ad res ratione plane carentes extendi, cum dicit (*Psal.* 148.): *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*. Et ut ait idem Propheta Regius (*Ps.* 118.): *Ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia serviunt tibi*.

Creaturæ vero rationales, cum agunt ex recta ratione, vere obtemperant æternæ legi; sed quamvis ab ea per peccatum recedant, & sic homo sæpe agat contra hanc legem, nequit tamen se subducere ab ordine constituto; &, velit, nolit, subditur huic ordini; ut egregie explicat S. Augustinus dum ait (*lib.* 3. *de lib. arb. c.* 15.): „Quia enim nemo superat leges omnipotentis „Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum: „aut enim reddit bene utendo, quod accepit; aut „reddit amittendo illud, quo bene uti noluit. Itaque si „non reddit faciendo justitiam, reddit patiendo miseriam: Si non reddit faciendo, quod debet, reddet patiendo, quod non debet". Verum quod adhuc magis „admirabile est: „Inde voluntatem Dei peragunt, *inquit S. Gregorius* (*mor. in* 5. *c. Job lib.* 6. *c.* 12.), unde hanc immutare contendunt: atque omnipotentis Dei „consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur; quia „sæpe & hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per „humanum studium frivole resultat; sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando „ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt, cum resistunt .... & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit: unde miro modo fit, ut & quod sine voluntate „Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum „in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam, quæ ejus consilio repugnant. Hinc enim „per Psalmistam dicitur: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*. Sic quippe ejus opera „magna sunt, ut per omne, quod ab hominibus agitur, „ejus voluntas exquiratur.

Quæst.

Quæst. 4. Quid eſt lex naturalis?

Reſp. „ Lex naturalis eſt, *inquit S. Ambroſius* (*l. 9. Epiſtolarum, ep. 7.*), quam Deus creator infudit ſingulorum pectoribus . . . quæ non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur “. Neque aliud eſt primus hic veritatis omnis ſons, quam Deus ipſe, naturæ auctor: „ Nulla eſt anima, *inquit S. Auguſtinus* (*de ſer. Domini in monte. Apud Bed. in ep. ad Rom. c. 2.*), quantumvis perverſa, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur DEUS. Quis enim ſcripſit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus? de qua lege Apoſtolus ait; cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis “: Denique juris naturalis notitiam accepiſſe nos aſſerit Propheta Regius, cum ait (*Pſal. 4.*): *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Quæſt. 5. Quænam ſunt præcepta juris naturalis?

Reſp. Præcepta juris naturalis reducuntur ad ea, quæ Chriſtus Dominus aſſerit continere univerſam legem, & Prophetas (*Matth. 22. v. 37.*): „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ “. Quare, ut explicat S. Anſelmus (*ſeu Hervæus in epiſt. ad Rom. cap. 2.*): „ Nullus eſt, qui facit alteri injuriam, niſi qui fieri nolit ſibi: & in hoc tranſgreditur naturæ leges, quam non ſinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Opus enim legis eſt, non occidere, non mœchari, non furari, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, patrem & matrem honorare, & his ſimilia facere, unumque Deum creatorem omnium credere. Et hæc omnia naturalis ratio ſcripſit in corde gentilium, & ita noverunt, quid agendum eſſet, & quid vitandum.

Unde Sanctus Auguſtinus alloquens peccatores verbis illis Iſaiæ Prophetæ: Redite Prævaricatores ad Cor: „ Quis enim, *inquit*, te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit nolle injuriam pati, & quicquid aliud vel univerſaliter, vel particulariter dici poteſt? Multa enim ſunt, de quibus ſingulis interrogati homines, clara voce reſpondeant, nolle ſe pati ea. Age, ſi non vis pati iſta, numquid ſolus es homo? nonne in ſocietate vivis generis humani? qui tecum factus eſt, ſocius tuus eſt, & omnes

„ facti

„ facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus con-
„ terant, quod ille formavit. Quod ergo tibi non vis
„ fieri, noli alteri facere: judicas enim malum esse in
„ eo, quod pati non vis, & hoc te cogit nosse lex in-
„ tima in ipso tuo corde conscripta. Omnes ergo de
„ suis rebus interrogati, clamant, hæc bona non es-
„ se. Rursum de beneficiis, non solum de nocendo,
„ verum etiam de præstando, & tribuendo, interroga-
„ tur omnis anima. Esuriens famem pateris, alius ha-
„ bet panem, & redundat illi ultra sufficientiam; no-
„ vit te egere, & non dat: displicet tibi esurienti, dis-
„ pliceat & satiato cum alterum esurire cognoveris. Pe-
„ regrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non
„ suscipitur; ille tunc clamat, illam inhumanam esse ci-
„ vitatem, facilius apud Barbaros sibi esse potuisse refu-
„ gium. Sentit enim iniquitatem, quia patitur. Tu
„ forte non sentis. Sed oportet, ut te cogites peregri-
„ num, & videas quomodo tibi possit displicere, qui ti-
„ bi non præstiterit, quod tu in patria tua non vis pe-
„ regrino præstare.

Quæst. 6. Quando nam incipit quis teneri observare præcepta legis naturalis?

Resp. Tenetur eam quis observare, ex quo eam sufficienter novit: incipit autem hæc lex nobis innotescere statim ab ausu rationis, sicque possumus discernere inter bonum & malum, & obedire primo legis naturalis præcepto, quod est facere bonum, & declinare a malo, quo cætera continentur præcepta; quare, ut ait Sanctus Hieronymus (*ad Algasiam*, *q.* 8.): *Cum mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala; tunc peccatum reviviscere incipit, & homo reus esse peccati.*

Quæst. 7. Obligatio servandi præcepta legis naturalis, est-ne indispensabilis?

Resp. Præcepta juris naturalis sunt indispensabilia, nec quisquam ab eorum observatione cessare potest, nisi violando jura Deo & proximo debita, ordinemque ab æterna lege stabilitum solvendo: *Huic legi*, inquit Lactantius (*lib. 6. Divin. Instit. cap.* 8.), *nec prærogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: nec vero aut per Senatum, aut per populum, hac lege liberari possumus*. Nulla demum humana potestas, vel authoritas, in ea dispensare potest: imo nec Deus ipse absolute loquendo supra ea dispensare potest; quia, ut ait Apostolus (2. *ad Tim. cap.* 2.), *Negare se ipsum non potest*, permittendo, eas leges violare, quas indelebilibus characteribus hominum animis impressit. *Jus illud*, inquit Sanctus Bernardus, *necessarium & incommutabile, divina ita constat, & æterna ratione firmatum, ut nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari*.

Quod si legimus in Scriptura, Deum aliquando imperas-

peraſſe, aut permiſiſſe contraria legi naturali, ut cum præcepit Abrahæ, ut ſacrificaret filium ſuum, & permiſit Iſraelitis, ut auferrent vaſa Ægyptiorum: in his caſibus non imperavit, vel permiſit Deus, ut fieret contra legem naturalem; ſed ejus præceptum immutavit ſtatum rerum, effecitque, ut actio, quæ abſque hoc præcepto prohibita fuiſſet a lege naturæ, ab ea non prohiberetur; nam verbi gratia, cum Deus ſit abſolutus vitæ noſtræ dominus, poſſitque omnes homines, prout libuerit, interficere, poterat etiam præcipere Abrahæ, ut divinam exequeretur voluntatem in morte filii unigeniti: poterat etiam transferre dominium mobilium Ægyptiorum, ut re ipſa tranſtulit. Et ita nec ipſi, nec Abraham in his occaſionibus legem naturæ violarunt; quoniam, quod homicidium lege naturæ prohibitum fuiſſet ſine Dei mandato, non jam prohibitum cenſebatur, accedente divino præcepto; quodque latrocinium foret, aut furtum, translato dominio divinitus in gratiam populi Iſraelitici, non amplius tale reputatur. Unde Sanctus Auguſtinus ait (*lib. 1. de Civitat. Dei, cap. 21.*): *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, Non occides, qui Deo authore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſecundum ejus leges, hoc eſt juſtiſſimæ rationis imperium, ſcelera morte punierunt. Et Abraham non ſolum non eſt culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus eſt nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam ſcelerate, ſed obedienter occidere.* Licet autem Reges & Magiſtratus non habeant eamdem poteſtatem rerum naturas commutandi: certum tamen eſt, eos in diverſis caſibus recte juſteque permittere, aut præcipere varias actiones, quæ ſine eorum permiſſione, aut juſſu, juri naturæ contrariæ forent; verbi gratia, cum reos morte puniunt, aut hoſtium bona in bello juſto diripi permittunt; quia cum hæc juſte præcepta ſint ab eo, qui legitimam habet poteſtatem, juſta fiunt, & legi naturali conformia, licet ſine hoc præcepto, ſine crimine non fierent omnino, eidemque legi contraria forent: ut egregie declarat eruditiſſimus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, in capit. 20. Exodi quæſt. 35.

Quæſt. 8. Quid eſt lex poſitiva divina?

Reſp. Ea eſt, quam Deus dedit in tempore: differt vero a lege naturali, quia hæc tradita non fuit ſcripto, aut viva voce, ſed nobiſcum innata eſt; præterquam quod omnes homines ſemper debuerunt obſervare præcepta legis naturalis; lex vero poſitiva data Adæ, & Evæ, non obſtringebat poſteros; & illa, quæ data fuit Moyſi, obligabat ſolos Iſraelitas: quippe quæ apud eos ſolum publicata fuit, quantum ad præcepta, quæ ad legem naturæ non pertinebant.

Quæſt.

Quæst. 9. Quare, præter legem naturalem, voluit Deus tradere legem positivam populo Israelitico?

Resp. Videtur, quod dicere possumus, quod lex positiva clarius ostendit hominibus supremum Dei dominium, & indispensabilem obligationem, qua tenentur ejus decretis obedire, quia licet, ut author naturæ, sit etiam author legis divinæ; tamen omnes homines non noverant hanc veritatem, poterantque credere, legem naturalem esse potius conditionem, & veluti naturæ nostræ propensionem, quam veram legem. Præterea supremum Dei dominium magis elucescit, cum non solum prohibet, quæ ex se mala sunt, sed etiam ea, quæ ideo mala sunt, quia prohibita; ut cum prohibuit Hebræis opera omnia servilia die sabbati, & protoparentibus, ne comederent ex fructu arboris vitæ.

Secundo, ut ait sanctus Thomas (1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *in corp.*): „ Præter legem naturalem, necessarium fuit „ ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam; „ quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in „ ordine ad ultimum finem: & si quidem homo ordi„ naretur tantum ad finem, qui non excederet propor„ tionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, „ quod homo haberet aliquod directivum ex parte ratio„ nis supra legem naturalem, & legem humanitus „ positam, quæ ab ea derivatur. Sed quia homo or„ dinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit „ proportionem naturalis facultatis humanæ; & ideo ne„ cessarium fuit, ut supra legem naturalem & humanam „ dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data". Sanctus Ambrosius aliam tradit rationem, dum ait (*suppl.* 9. *epist.* 7. *ad Irenæum*.): „ Quia illam le„ gem excluserat prævaricatio, ac propemodum abole„ verat, pectoribus humanis regnabat superbia, inobe„ dientiaque sese diffuderat; ideo successit ista, ut nos „ scripto conveniret, & omne os obstrueretur, ut to„ tum mundum faceret Deo subditum .... Lata est er„ go lex, ut excusationem tolleret, ne quis diceret, „ peccatum nescivi, quia præscriptum non erat, quid „ caverem".

Ne ergo, inquit Sanctus Augustinus (*in Psalm.* 57.), *homines sibi aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, & quod amissum erat, & illud etiam exiguum, quod homines in cordibus suis non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua pulsus est homo, dicente Scriptura*: In cogitationibus impii interrogatio erit: *Ubi interrogatio, ibi lex: sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, etiam a se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus

vus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis, & ad teipsum intro revocaris. Propterea scriptæ lex quid clamat de eis, qui deseruerunt legem scriptam in cordibus? Redite prævaricatores ad cor.

Quæst. 10. Potest-ne assignari aliqua ratio, cur Deus suam dederit legem diu post peccatum primi parentis?

Resp. Deus reliquit homines in tenebris a peccato in eorum mente formatis, ac permisit, ut sequerentur voluntatis suæ corruptionem, usque ad Moysis tempora; ut funesta videntes experientia, in quas errorum abyssos sese præcipites dederant, propria sequentes judicia, hæc ipsa cognitio confusionem & humilitatem in ipsis excitaret. Enimvero si leges suas dedisset statim post lapsum Adami, homines non satis agnovissent novi hujus luminis necessitatem; nec facile intellexissent, se errori obnoxios fore, quoties præsumerent propriæ rationis ductum sequi, mentique peccato corruptæ confidere.

Hac humilitate, seu humiliatione, Deus superbiam hominum voluit deprimere, de qua Propheta Regius ait (*Ps.* 118. *v.* 14.): *Emundabor a delicto maximo.* Ut enim ait Sanctus Augustinus in hunc locum: *Delictum maximum, arbitror esse superbiam.* Qua ratione voluit manifestare, fallaces omnes eorum fuisse notitias, ac Dei legis indiguisse luce, ut veritatem cognoscerent: *Deus*, ait Divus Thomas (*in ep. ad Galat. cap.* 3. *lect. V.*), *reliquit homines absque doctrina legis, tempore legis naturæ: in quo dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu scientiæ*, quam a solo Deo poterant expectare; & per hoc disponebantur ad observationem hujus præcepti, quo cætera omnia continentur: *Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur ..... facies quæcumque præcipio tibi* (*Deuteronom. cap.* 22.).

Quæst. 11. Præcepta legis positivæ, divinæ, novæ, & Evangelicæ, differunt-ne a præceptis veteris legis?

Resp. Lex vetus differt a nova, sicut imperfectum a perfecto. Lex vetus, legis novæ tantum erat initium, & veluti rudis quidam typus. Enimvero cum lex Dei adeo sit sublimis, & omnem humanæ mentis, peccati tenebris obscuratæ, & infirmatæ, captum superet, secretiora ejus mysteria populo suo, qui tunc erat rudis, atque terrestris, publicare noluit Deus; aliqua tantum capita proposuit modo quodam eorum intelligentiæ proportionato, cætera vero per aliquod tempus mysteriosis prophetiarum, figurarum, & cæremoniarum velis, quæ adventum Christi Domini prænunciabant, obduxit, qui umbras omnes illas tollere, tenebrasque suo lumine dissipare debebat, veritates ipsas figuris antiquæ legis repræsentatas complendo ac perficiendo. Unde Divus Paulus ad Galatas ait (*cap.* 3. *v.* 14.), *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo: o-*

omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Et in capite sequenti ait (*cap. 4. vers. 3.*): *Cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes; at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Verum tria potissimum reperire licet inter legem Mosaicam, & Evangelicam discrimina, quantum ad finem, & præceptorum diversitatem, & quantum ad modum inducendi homines ad obedientiam. Enimvero lex vetus proponebat ut plurimum præmia temporalia, & pœnas ejusdem generis, habita ratione infirmitatis populi Judaici; nam cum gratia Domini nostri Jesu Christi nondum publicata esset, & in eorum corda diffusa, paucissimi erant revera spirituales, totaque hujus populi multitudo non alium sibi scopum, nec alia sibi proponebat bona, quam terrena; cælestia vero, & spiritualia nec cognoscebat, nec desiderabat: e contra vero nova, & Evangelica lex, æterna semper pollicetur bona; unde cum Deus præcepit Moysi, ut populum Israel in solitudinem duceret, ubi iis legem dare voluit, ait (*Exod. cap. 3. vers. 17.*): *Dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi, ad terram fluentem lacte, & melle:* Christus autem Dominus legis novæ author nihil minus, quam regnum cęlorum pollicetur, cum ait (*Matth. cap. 4. vers. 7.*): *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cęlorum. Si in præceptis meis,* dicebat Deus Israelitis (*Levit. c. 26. v. 3. Deut. c. 18.*), *ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea; dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur:* Christus vero Dominus in Evangelio ait (*Matth. c. 5.*): *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum .... Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* „ Nec ipsos, *inquit sanctus Augustinus* (contra „ Faustum lib. 4. c. 2.), illius temporis sanctos, & „ spirituales viros, Patriarchas & Prophetas, his terrenis „ rebus fuisse deditos credimus: intelligebant enim re- „ velante sibi Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, „ & quibus modis Deus per illas omnes res gestas, & „ dictas, futura figuranda, & prænuncianda decerneret: „ magisque desiderium eorum de novo testamento erat, „ sed præsens functio corporalis ad significanda nova „ ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita „ illorum hominum non tantum lingua, sed & vita „ prophetica fuit: carnalis autem populus promissis vitæ „ præsentis inhærebat ". Asserere quoque possumus, quod licet præmia & supplicia in novo testamento proposita, ut plurimum spiritualia sint, atque cælestia; nihilomi-

Dominus Deus sæpe etiam in hoc mundo viris fidelibus præmia tribuit, idque nonnumquam in ipso legitur Evangelio.

Secundum vero discrimen inter legem antiquam, & novam, in eo positum est, quod antiqua non ita particulariter, ut nova, interiores animi motus dirigeret. Mosaica quidem mala desideria aliquo modo damnabat, quoniam quidem Deus ait in Decalogo (*Exod. cap.* 20. *v.* 19.): *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus: non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.* Verum lex nova specialis inhæret reprimendis malis cogitationibus, & secretis cordis affectibus; ut patet ex eo, quod Dominus noster Jesus Christus dicit in Evangelio (*Matth. c.* 1. *v.* 20.); *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Denique lex Mosaica a lege gratiæ differt, quod ea sit lex timoris, hæc lex amoris. Deus veterem populum ad legem scriptam observandam induxit timore, idemque vult, ut cordis affectu, & amore obtemperemus Evangelio: „ Duorum testamentorum differentiam, *ait Di-*
„ *vus Augustinus* (lib. contra Adimantum Manich. c.
„ 16.), sic probamus, ut in illo sint onera servorum,
„ in isto gloria liberorum .... Veriusque testamenti
„ authorem Deum venerantes, qui & veteri homini fu-
„ gienti tamquam dominus apposuit, quod timeret, &
„ novo redeunti tanquam pater aperuit, quod amaret".
Et idem Doctor, ibidem cap. 17. ait: „ Nam hæc est
„ brevissima, & apertissima differentia duorum testa-
„ mentorum; timor, & amor. Illud ad veterem, hoc
„ ad novum hominem pertinet: utrumque tamen unius
„ Dei misericordissima dispensatione prolatum, atque
„ conjunctum".

Quæst. 12. Quænam sunt præcepta legis novæ, & Evangelicæ?

Resp. Evangelium tria continet præceptorum genera: Præcepta fidei, quæ nos obligant ad firmiter credendum mysteria Ecclesiæ a Deo revelata; ut planius dicemus inferius. Præcepta, quæ respiciunt Sacramenta, quæque nos obligant, ut nosmetipsos ad ea diversis temporibus suscipienda, qua decet veneratione, disponamus; ut fusius explicavimus in toto tractatu de Sacramentis. Denique præcepta moralia, eadem scilicet, quæ in veteri lege traduntur: sed Christus Dominus dignatus est ea clarius explicare, & removere vela, quibus homines impediebantur, ne in verum divinorum præceptorum sensum penetrarent, ac præsertim in sermone suo in monte, quem sancti Patres considerarunt ut brevem totius novæ legis epitomen. In eo volens ostendere, primo, beatitudinem, quam homines ut finem suarum actionum sibi proponunt, nec in divitiis, nec in honoribus,

bus, nec in voluptatibus esse sitam, ait (*Matth. c.* 5.): *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Ubi autem sic ostendit omnibus, qui eum sequi volebant, eos vera bona tamquam finem actionum suarum sequi debere, scilicet regnum cælorum, & fruitionem æternam Dei ipsius; suos instruit Apostolos, quos reliquorum duces esse voluit, qui & lumen, & sal mundi esse debebant: cæterosque fideles ab omni corruptione servare, quo modo & cura se ipsos incorruptos præstare tenebantur, ac populum fidelem sana sua doctrina illuminare, ac bonis exemplis excitare; varia demum Decalogi exponit præcepta, & hominibus declarat, actus interiores, ac secreta cordis desideria, non minus eos in crimen inducere posse coram Deo, quam actus exteriores; cavet, ne eo fine agamus, ut gloriam apud homines habere velimus, & ne de factis alienis judicemus. Præcipit, ut omnes homines amemus, etiam infensissimos inimicos nostros: omni modo omnes peccandi occasiones fugere; a falsis prophetis cavere, qui suis se manifestant actionibus; ut parati simus omnia relinquere, & omnia pati propter amorem Dei; ut continuo oremus, ac cæleste auxilium expectemus, sine ulla rerum ad hanc vitam pertinentium solicitudine, & futuri temporis anxietate. Denique ait (*Matth. c.* 7. *v.* 13.): „ Intrate „ per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via „ est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui „ intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via „ est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt „ eam?

Quæst. 13. Quodnam discrimen est inter præcepta, & consilia, & quæ ad novam gratiæ legem pertinent?

Resp. Verum discrimen inter consilia & præcepta, in eo positum est, quod hæc strictam secum inferant obligationem; illa vero proposita sint tamquam media quædam propria ad consequendam perfectionem, ad quam tendere debemus. Unde legimus in sermone, qui Sancto Augustino tribuitur (*ser. de temp.*): „ Aliud est „ consilium, aliud præceptum. Consilium datur ut vir„ ginitas conservetur; ut a vino, & carnibus abstinea„ tur; ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur. „ Præceptum vero datur, ut justitia custodiatur, ut „ omnis homo divertat a malo, & faciat bonum. De„ nique de virginitate dicitur: *Qui potest capere, ca*„ *piat*; de justitia vero non dicitur, Qui potest facere, „ faciat; sed, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bo*„ *num, excidetur, & in ignem mittetur.* Consilium „ qui libenter audierit, & fecerit, majorem habebit „ gloriam. Præceptum qui non impleverit, nisi pœni„ tentia subvenerit, evadere pœnam non potest. *Et,*

„ *ut ait Sanctus Hieronymus* (*l. 5. contra Jovin. refertur*
„ *in Can. Quisquis 14 q. 1.*), Ubi consilium datur,
„ offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est
„ servientis".

Observandum est, Evangelica consilia esse posse præcepta respectu nonnullorum hominum; præcepta vero numquam fieri posse consilia; quia munia nobis a Deo imposita, & obligationes, numquam tolli possunt. Ita, verbi gratia, continentia, quæ consilium tantum est respectu fidelium, plerumque fit præceptum, quoties votum expressum, aut tacitum accedit ad eam observandam; quale fit a Religiosis, & Clericis, qui sunt in Ordinibus sacris. Omnia porro consilia Evangelica ad tria reduci possunt, nempe ad paupertatem, castitatem, & obedientiam; quia ea observando, omnis perfectio charitatis, cujus homines in hac vita capaces sunt, acquiri potest; & Christianus hæc observando, Deo in sacrificium offert quidquid habet: quoniam quidem per paupertatem offert bona fortunæ, per castitatem bona corporis, & per obedientiam animæ bona: his etiam tribus consiliis reprimitur concupiscentia, ex qua nascuntur omnia peccata, quæ in hoc mundo dominantur. Nam, ut ait Sanctus Joannes (*c. 2. v. 16.*): *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Per castitatem impugnamus, & in nobis ipsis destruimus concupiscentiam carnis: per paupertatem concupiscentiam oculorum; & per obedientiam denique vitæ superbiam reprimimus.

Quæst. 14. Quid est lex positiva humana, quæ Canonica, & Ecclesiastica vocatur?

Resp. Est, inquit Lancellottus (*In inst. Juris Can. lib. 1. tit. 1. p. 2.*): *Jus Canonicum, quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit*. Hoc autem jus continet tria præceptorum genera; alia enim pertinent ad fidem, alia ad mores, quædam vero ad externam disciplinam. Præcepta, seu decisiones fidei, aut morum, mutari, aut aboleri nequeunt decursu temporis; quia cum ea proponit Ecclesia fidelibus, declarat tantum obligationes in jure naturali aut positivo divino contentas: proindeque quod semel his rebus definivit, aut determinavit, est infallibile, quasi esset a Spirtu sancto inspiratum. Unde Sanctus Leo Papa ait (*ep. 84. c. 2. refertur in Can. Igitur 25. q. 2.*): *Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*; & sanctus Isidorus dicit (*refertur in Can. Hoc ipsum, 33. q. 2.*): *Non ex electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt*. Licet autem Canones, qui exteriorem Ecclesiæ disciplinam dirigunt, a posterioribus commutari possint, aut etiam usu contrario legitime introducto, videntibus, & annuentibus quodammodo Ecclesiæ Prælatis, seu a longo tempore tolerantibus, ut graviora devitent

mala; summa tamen cum reverentia suscipi debent, eorumque scientia minime negligi: quamvis enim non teneamur nunc eos ad litteram observare, mores tamen nostros eorum spiritu regere debemus, qui Ecclesiæ, & Dei ipsius spiritus est atque consilium. Proindeque licet non teneamur modo antiquorum Canonum decreta sequi, quæ septem annos pœnitentiæ pro majoribus criminibus plerumque imponebant; iis tamen uti debent Confessores, ut ostendant, Ecclesiam, quæ optima mater est, optare, ut filii sui condignam agant pœnitentiam, & DEO eo modo satisfaciant, qui proportionem habeat cum magnitudine criminum. Et ita, ut ait Concilium Tridentinum (*sess.* 4. *c.* 8.): „ Debent ergo sacerdotes „ Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, „ pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, „ salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne „ si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœ„ nitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissi„ mis delictis injungendo, alienorum peccatorum par„ ticipes efficiantur". Et propter eandem rationem Sanctus Carolus asserit (*in Instruct. Confess. Act. p.* 4. (*), Confessores scire debere Canones pœnitentiales, eosque præ oculis semper habere, ut eos tanquam regulas, & quantum fieri potest, & expedire ac convenire judicaverint, sequantur.

Quæst. 15. Tenentur ne omnes Christiani obedire legibus Ecclesiæ?

Resp. D. N. J. C. nemini permisit hac de re dubitare, cum ait (*Can. Hæc consona*, 25. *q.* 1.): *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Nicolaus autem Papa relatus in Canone, ait (*Can. Violatores*, 25. *q.* 1.): „ Si quis dogmata, mandata, in„ terdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholicæ fidei „ disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione „ sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futu„ rorum malorum, a sedis Apostolicæ præsule salubriter „ promulgata, contempserit, anathema sit. Hac conso„ na sanctis Patribus definitione sancimus, *ait Sanctus Gre*„ *gorius Papa relatus in Canone* (*Matth.* 18. *v.* 17.), „ ut qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacris ad„ mi-

---

(*) Per tanto deve il Confessore sapere li Canoni penitenziali, perciocchè, quantunque si possino, e si debbano moderare ad arbitrio di prudente e discreto Confessore, secondo la contrizione del penitente.... nondimeno è bene sempre guardare li suddetti Canoni, ed a quelli come a regola conformarsi, quanto si giudicherà spediente.

„ miniſtrare, nec communionem capere ſit dignus altari-
„ bus. *Sanctus vero Damaſus Papa, relatus etiam in Ca-
„ none, ait* (*Can. Si quis*, 25. *q.* 2.): Violatores Cano-
„ num voluntarii, graviter a ſanctis Patribus judican-
„ tur, & a ſancto Spiritu, inſtinctu cujus ac dono di-
„ tati ſunt, damnantur. Quoniam blaſphemare Spiri-
„ tum ſanctum non incongrue videntur, qui contra eoſ-
„ dem ſanctos Canones, non neceſſitate compulſi, ſed
„ libenter aliquid, aut proterve agunt, aut loqui præ-
„ ſumunt, aut facere volentibus, ſponte conſentiunt:
„ talis enim præſumptio manifeſte unum genus eſt blaſ-
„ phemantium Spiritum Sanctum: quia, ut jam præli-
„ batum eſt, contra eum agit, cujus nutu & gratia ſan-
„ cti Canones editi ſunt". Verum ſi Chriſtiani omnes teneantur eos obſervare, Clerici præſertim tenentur eos in animo ſemper habere, ac tanquam regulas intueri debent, ſecundum quas omnes ſuas actiones dirigere & vitam formare debent: eoſque, præcipue in adminiſtratione Sacramentorum, & prædicatione verbi Dei, ſequi, mandatis Epiſcopi Diœceſani fideliter obtemperando. Hinc Hormiſdas Papa, relatus in Canone, ait (*Can. Prima*, 25. *q.* 1.): *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & a conſtitutis Patrum nullatenus deviare.*

Quæſt. 16. Tenentur-ne Clerici ſacros Canones ſcire?

Reſp. Hæc ſcientia illis tam utilis & neceſſaria eſt, ut aſſerere poſſimus, ſine ea vix eos munere ſuo digne fungi poſſe, & Eccleſiæ utiliter inſervire. Sacrorum etiam Canonum ignorantia videtur inter præcipuas cauſas enumerari poſſe errorum novorum Caſuiſtarum; nec eos tot prorſus extravagantes opiniones excogitaſſe, quarum duodecim ſupra centum a ſede Apoſtolica damnatæ ſunt, quam quia aut ignorarunt, aut certe non ſatis reverenter ſe ſubmiſerunt decretis a Spiritu Sancto in ſacris Canonibus ſtabilitis: quocirca ut ſimiles caveamus errores, ſequamur oportet conſilium Julii Papæ in Canone, qui ei adſcribitur (*Can. Nolite*, *diſt.* 1.): „ Nolite,
„ *inquit*, errare, fratres mei chariſſimi: doctrinis va-
„ riis & extraneis nolite abduci: en inſtituta Apoſtolo-
„ rum, & Apoſtolicorum virorum, Canoneſque habetis:
„ his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his
„ armamini: ut his freti, circumdati, delectati, arma-
„ ti, contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valea-
„ tis. Satis enim indignum eſt quemquam vel Pontifi-
„ cum, vel ordinum ſubſequentium hanc regulam refu-
„ tare, quam beati Petri ſedem & ſequi viderit, & do-
„ cere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ec-
„ cleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quæ in-
„ de authoritatem habet, ubi Dominus Eccleſiæ totius
„ poſuit principatum".

Sacrorum Canonum ſtudio, poſt Scripturas ſanctas, acquiritur ſcientia, quam Sapiens vocat *ſcientiam Sanctorum* (*Sapient. c.* 10. *v.* 10.); quoniam quidem ii ſan-

sancto Spiritu inspirante a summis Pontificibus, aut Conciliis dictati, publicatique sunt. In juris Canonici libris reperitur, quidquid est majoris momenti in Decretis Summorum Pontificum, & sententiis Conciliorum, quidquid utilius ac magis ad ædificationem spectans, in operibus sanctorum Patrum. In sacris Canonibus sui muneris officia vident Clerici, discuntque, qua ratione res sacras administrare debent, & utiliter operas suas impendere, tum ad suam, tum ad populorum sibi creditorum sanctificationem. In sacris denique Canonibus vera Theologiæ moralis principia reperiuntur, eorumque opera devitantur laxitates illarum novarum opinionum, de quibus Alexander Papa septimus ita conqueritur (*in Decreto adversus laxas Casuistarum opiniones* 24. *Sept.* 1665.): *In rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit, alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.*

CAPUT II.

De definitione & divisione Decalogi.

Quæst. I. QUID est Decalogus?

Resp. Est veluti omnium divinarum legum compendium: nomine vero Decalogi, decem præcepta in duabus tabulis lapideis digito Dei scripta, populoque Israelitico in monte Sinai proposita, intelligimus, sive legem decem præceptis comprehensam; uti docet S. Augustinus, dum ait (*q.* 110. *super c.* 3. *Exod. l.* 2. *tom.* 4.): „ Cum tam multa locutus sit Deus, duæ „ tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur ta„ bulæ testimonii futuræ in Arca. Nimirum omnia cæ„ tera, quæ præcipit Deus, ex illis decem præceptis, „ quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelli„ guntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur, „ quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus „ illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus to„ ta lex pendet, & Prophetæ ".

Quæst. 2. Lex Mosaica continet-ne alia præcepta præter Decalogum?

Resp. Ex sancto Thoma (1. 2. *q.* 99. *art.* 1. *in corp.*): „ Oportet tria præcepta legis veteris ponere: scilicet „ moralia, quæ sunt de dictamine legis naturæ; cære„ monialia, quæ sunt determinationes cultus divini: & „ judicialia, quæ sunt determinationes justitiæ inter ho„ mines observandæ. Unde cum Apostolus Rom. 7. di„ xisset, quod *lex est sancta*, subjungit, quod *manda„ tum est justum & bonum & sanctum*: justum quidem „ quantum ad judicialia: sanctum quantum ad cæremo„ nialia (nam sanctum dicitur, quod est Deo dicatum); „ bonum, id est, honestum, quantum ad moralia ". Quo supposito, certum est, cæremonialia, & judicialia

præ-

præcepta, morte Christi Domini fuisse abrogata, proindeque sola præcepta moralia vigere, seu vim obligandi nunc habere.

Quæst. 3. Quomodo dividuntur præcepta Decalogi?

Resp. Sanctus Thomas, postquam retulisset varias rationes & divisiones Decalogi Sanctorum Patrum & Doctorum, ait: *Divus Augustinus ponit tria præcepta in ordine ad DEUM, & septem in ordine ad proximum: & hoc melius est.*

Quæst. 4. Quare tota lex decem Decalogi præceptis continetur?

Resp. Quia, ut ait Sanctus Thomas (1. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in corp.*) „ sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem; ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quandam communitatem, seu rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem, quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur: quorum primum est, ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati: aliud autem est, ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios, & comparticipes. Oportet igitur, quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul conviventes sub Deo. Principi autem communitatis tria debet homo; primo fidelitatem, secundo reverentiam, tertio famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit, ut honorem principatus ad alium non deferat: & quantum ad hoc accipitur primum præceptum, cum dicitur; *Non habebis Deos alienos:* reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum in eum committatur: & quantum ad hoc accipitur secundum præceptum, quod est, *Non assumes nomen Domini tui in vanum:* famulatus autem debetur Domino in recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi: & ad hoc pertinet tertium præceptum, quod est de sanctificatione sabbati in memoriam creationis rerum. Ad proximos autem aliquis bene se habet, & specialiter, & generaliter: specialiter quidem quantum ad illos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat: & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum; generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde; opere quidem infertur nocumentum proximis, quandoque quidem in propriam personam quantum ad consistentiam personæ: & hoc prohibetur per hoc quod dicitur, *Non occides*; quandoque autem in personam conjunctam, quantum ad propagationem prolis; & hoc prohibetur, cum dicitur, *Non mœchaberis:* quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque; & quantum ad hoc dicitur: *Non furtum*

„ *facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum di-
„ citur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum*
„ *testimonium*: nocumentum autem cordis prohibetur,
„ cum dicitur: *Non concupisces*.

CAPUT III.

De obligatione servandi Præcepta Dei in Lege gratiæ, & de eorum facilitate.

Quæst. 1. Tenentur-ne omnes homines observare præcepta Decalogi?

Resp. Utique tenentur lege naturali nobis a Deo una cum rationis usu impressa: *Certissimum enim est*, inquit Catechismus Concilii Tridentini (*parte* 3. *de Dei præceptis n.* 7.), *non propterea his præceptis parendum esse, quod per Moysem data sunt; sed quod omnium animis ingenita, & per Christum Dominum explicata sunt & confirmata*, in Evangelio. Ideoque Christiani tenentur ea majori cum perfectione servare.

Quare Concilium Tridentinum ait (*session.* 6. *Can.* 29.): *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cæteraque esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Unde sæpe, imo semper, inquit Sanctus Hieronymus (*ad Celantiam, ep.* 14.), *illa nobis Domini revolvenda sententia*, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Hoc enim tota nobiscum lege agitur: hoc Prophetæ, hoc Apostoli docent; hoc a nobis & vox Christi, & sanguis efflagitat; qui ideo pro omnibus mortuus est, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro illis mortuus est. Vivere autem illi, non est aliud, quam ejus præcepta servare, quæ nobis ille, quasi certum quoddam dilectionis suæ pignus, servanda mandavit*: Si diligitis, *inquit*, me mandata mea servate: & qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.

Quæst. 2. Tenebantur-ne homines observare præcepta Decalogi, priusquam tradita fuissent Moysi in monte Sinai?

Resp. Cum hæc præcepta pertineant ad jus naturale, quod Deus omnibus hominibus impressit, cujusque cognitio simul cum rationis usu tradita est: sequitur, eorum observantiam semper & ubique fuisse necessariam: sed quia lex naturalis innumeris hominum criminibus obscurata fuit; Deus voluit eam per Moysem populo suo manifestare. Unde Sanctus Hieronymus explicans illa verba Isaiæ capite 24. (*lib.* 8. *Comm in Is. c.* 24. *tom.* 4.) *Quia transgressi sunt legem, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*: ait: *Audiant Judæi, qui se solos legem accepisse Domini gloriantur, quod*

uni-

universæ primum gentes totusque orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea lex data sit per Mosem, quia prima lex dissipata est. De qua Apostolus loquitur : Cum enim gentes quæ non habent legem naturaliter ea quæ legis sunt faciunt ; isti legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

Quare cum Decalogus sit juris naturalis, quod omnibus hominibus semper commune fuit, semper illum observare tenebantur. Quod ostendit S. Thomas (1. 2. *q.* 100. *art.* 1. *in corp.*), cum ait : *Præcepta moralia, cum de his sint, quæ quatenus ad bonos mores pertinent, humanæ rationi conveniunt, cujus judicium a ratione naturali aliquo modo derivatur, necesse est illa omnia ad legem naturæ aliquo modo pertinere.*

Quæst. 3. Tenemur-ne observare præcepta Dei perfectiori modo, quam in antiqua lege ?

Resp. Sancti Patres, qui plene & copiose differuerunt de obligatione Christianorum servandi leges Dei maxima cum diligentia, asserunt, eas observandas nunc esse majori cum perfectione, quam in antiqua lege ; quocirca Sanctus Gregorius ait (*hom.* 40. *in Evang.*) : *Minus est enim quicquid per legem dicitur, quam hoc quod per Dominum jubetur ..... illa peccata carnis resecat ; Redemptor vero noster illicitas cogitationes etiam damnat ..... hi qui viliora legis præcepta implere negligunt, Salvatoris nostri mandatis altioribus obedire quando convalescunt ?*

Sanctus Augustinus in hac rerum diversitate admirabilem divinæ providentiæ rationem ita exposuit (*De vera Relig. c.* 17.) : *Si autem præcepta vitæ movent, quæ in veteri lege minora sunt, in Evangelio majora, & ideo putantur non ad unum Deum utraque pertinere : potest, qui hoc putat, perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillibus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem.*

Quæst. 4. Præcepta Dei sunt-ne in se ipsis observatu difficilia ?

Resp. Certum est, quod cum præcepta, quæ Christiani observare tenentur, repugnent naturæ sensibus, sunt in se ipsis difficillima, & quod per solam Dei gratiam, & ardorem charitatis, facilia sunt : „ Non quod impossibilia Deus præceperit, *ait Sanctus Hieronymus* (*l.* „ 2. *Dial. adversus Pelagian.*), sed in tantum patien„ tiæ culmen ascendit, ut prope impossibilia pro diffi„ cultate nimia præcepisse videatur, ad destruendam sen„ tentiam tuam qua scribis, facilia esse Dei mandata. „ Scandalizantem manum, oculum, & pedem jubemur „ abscindere, esto, per tropologiam dictum, pro ami„ cissimis, & pro consanguineis, & fraterno nobis, & „ conjugali amore sociatis ; facile ne arbitramur, ob

 „ quas-

„ quasdam offensas tantam subito abscindere charitatem? Unde idem Sanctus ait alio in loco: „ Duas certo con„ versationis vias, & distincta in diversum itinera vi„ vendi, Salvator in Evangelio ostendit: *Quam*, in„ quit, *spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, & mul„ ti sunt, qui intrant per eam!* & rursum: *Quam ar„ cta via & angusta est, quæ ducit ad vitam: & pau„ ci sunt, qui inveniunt eam!* Vide quanta inter has „ vias separatio sit, quantumque discrimen: illa ad mor„ tem, hæc tendit ad vitam; illa celebratur & teritur a „ multis, hæc vix invenitur a paucis. Illa enim vitiis „ per consuetudinem quasi declivior ac melior, & velut „ quibusdam amœna floribus voluptatum, facile ad se „ rapit commeantium multitudinem; hæc vero insueto „ calle virtutum tristior, atque horridior, ab iis tantum „ eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, „ quam utilitas mansionis. Asperam enim nobis & in„ suavem virtutum viam, nimia fecit vitiorum consue„ tudo, quæ in partem alteram transfertur, invenitur, „ sicut Scriptura dicit, semitas justitiæ levis. Ponamus „ ergo jam rationem vitæ nostræ, & per quam potissi„ mum gradiamur viam, conscientia teste discamus. O„ mne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut „ de lata, aut de angusta via est. Si cum paucis angu„ stum iter & subtilem quamdam semitam invenimus, „ ad vitam tendimus: si vero multorum comitamur viam, „ secundum Domini sententiam, imus ad mortem.

Quæst. 5. Si præcepta Dei adeo sunt in se ipsis difficilia, quomodo intelligendum est, quod dicitur in Evangelio Matthæi 11. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*: & in Epistola 1. Sancti Joannis capite 5. *Mandata ejus gravia non sunt?*

Resp. Sanctus Augustinus ita respondet (*lib. unico de natura & gratia contra Pelag. c. 69.*): „ Omnia sunt „ facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est, aut „ ea una est sarcina ipsa quæ levis est; secundum hoc „ dictum est, *Præcepta ejus gravia non sunt*, ut cui „ gravia sunt, consideret, non potuisse divinitus dici, „ gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, „ cui gravia non sunt: & petat quo destituitur, ut im„ pleat quod jubetur .... Conversus ergo quisque, sicut „ ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto „ corde suo, & ex tota anima sua mandatum Dei non „ habeat grave: quomodo enim grave, cum sit dilectio„ nis præceptum? aut enim quisque non diligit, & ideo „ grave est: aut diligit, & grave esse non potest. Dili„ git autem, si quod illic admonetur, Israel conversus „ fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, „ & ex tota anima sua: *Mandatum*, inquit, *novum do „ vobis, ut vos invicem diligatis, & qui diligit pro„ ximum, legem implevit*: &, *Plenitudo legis chari„ tas*. Secundum hoc, & illud dictum est. *Si ambula-*

„ *rens*

„ rent semitas bonas, invenissent utique semitas justi-
„ tiæ leves: quomodo ergo dicitur; Propter verba la-
„ biorum tuorum ergo custodivi vias duras; nisi quia
„ utrumque verum est, duræ sunt timori, leves amori!
„ Quis autem nesciat, ait idem Doctor in alio loco
„ (de perfec. justitiæ contra Cœlestium, t. 7.), cum
„ præceptum sit generale charitas, quia finis præcepti
„ est charitas, & plenitudo legis est charitas, non esse
„ grave, quod diligendo fit, non timendo? Laborant
„ autem in Dei præceptis, quia ea timendo conantur
„ implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem,
„ & facit præcepti sarcinam levem, non solum non pre-
„ mentem onere ponderum, verum etiam sublevantem
„ more pœnarum.

TRACTATUS
SECUNDUS
De primo Decalogi Præcepto.

PRIMUM Decalogi præceptum his verbis concipitur (*Exod. c.* 10.): *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.*

Duplex, inquit Catechismus Romanus (*p.* 3. *de primo præcepto Decalogi, n.* 11.), *contineri præceptum ostendit: quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet. Non habebis Deos alienos coram me, eam habet sententiam conjunctam: Me verum Deum coles: alienis Diis cultum non adhibebis*,

Quæst. 1. Quodnam discrimen est inter præcepta affirmativa, & negativa?

Resp. Hoc inter præcepta affirmativa, & negativa discrimen est, quod præcepta negativa obligant semper, & pro semper: hoc est, nunquam licet facere, quod prohibent; V. G. committere adulterium. *Præcepta autem affirmativa*, inquit Divus Thomas (2. 2. *q.* 3. *art.* 2. *in corp.*), *non obligant ad semper, etsi semper obligent: obligant autem pro loco & tempore secundum aliquas circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc quod sit actus virtutis.* V. G. licet liberi teneantur semper honorare parentes, hoc tamen præceptum eos non obligat ad continuum cultum, & obsequium, ita ut singulis momentis, amoris sui, & reverentiæ testimonia significent; sed tempore solum & loco.

Primum hoc Decalogi præceptum, explicatum a Christo Domino in Evangelio, continet præcipue actus Religionis, quibus debitum Deo cultum reddimus. Cum autem ex Sancto Augustino (*in Enchirid. ad Laur. c. 3. tom. 2.*), *Fide, spe, ac charitate Deus sit colendus*, ideo de his virtutibus, quodque in his præcipiatur, & prohibeatur, nonnihil dicendum est: & etiam de virtute Religionis, quæ cæteras omnes complectitur.

CAPUT PRIMUM.

De Fide.

Quæst. 1. QUID est Fides?

Resp. Fides est virtus divinitus infusa, cujus vi assentimur iis quæ a Deo Ecclesiæ revelata sunt, & in Deum credimus, quoniam certi sumus, eum esse veritatem ipsam. Hanc breviter definit Apostolus ad Hebræos c. 11. cum ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Quæst. 2. Quomodo dividitur fides?

Resp. Dividitur in fidem implicitam, & fidem explicitam; quod sic explicat Divus Thomas (*q. de veritate art. 11. in corp. q. 14. de fide.*): „ Implicitum, *inquit*, „ proprie dicitur esse illud, in quo quasi in uno multa „ continentur: explicitum autem, in quo unumquodque „ ipsorum in se consideratur .... Unde ille qui cognoscit aliqua principia universalia, habet implicitam cognitionem de omnibus conclusionibus particularibus; „ qui autem conclusiones actu considerat, dicitur eas explicite cognoscere: unde & explicite dicimur aliqua „ credere, quando eis actu cogitatis adhæremus: implicite vero, quando adhæremus quibusdam, in quibus „ sicut in principiis universalibus ista continentur: sicut „ qui credi fidem Ecclesiæ veram esse, in hoc quasi implicite credit singula, quæ sub fide Ecclesiæ continentur. “ Qui vero in particulari credit articulos, qui a „ fide proponuntur, explicite credit.

Quæst. 3. Quænam sunt cæteræ fidei divisiones?

Resp. Dividitur præterea fides in actualem, & habitualem: in fidem vivam, & fidem mortuam, seu informem; in fidem historicam, & fidem promissionis: denique in fidem quæ est virtus theologica, & fidem quæ est donum Spiritus sancti.

Quæst. 4. Quid est fides actualis & habitualis?

Resp. Fides habitualis est virtus theologica, & habitus supernaturalis in intellectu, quo firmiter assentimur omnibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis.

Dixi, omnia quæ a Deo revelata sunt; quia fide credimus omnia quæ Deus revelavit, in quantum revelata, propter unam authoritatem Dei, qui nec fallere, nec falli potest.

Di-

Dixi, & ab Ecclesia propositis: quia ordinarie loquendo, & pro universis fidelibus, requiritur authoritas Ecclesiæ proponentis, ut distinguantur revelata a non revelatis; licet possit Deus immediate per seipsum mysteria revelare, ut revelavit Protoparentibus, Patriarchis, & Prophetis. Verum communiter loquendo, ad Ecclesiam pertinet, quæ a sancto Spiritu illuminata est, quæque a sancto Paulo appellatur (1. *ad Tim. c.* 3.), *Columna & firmamentum veritatis*, ea nobis proponere, quæ credere debemus; unde sanctus Augustinus ait (*contra Epist. Fundam. c.* 5.): *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas*; & sanctus Cyrillus ait (*catechesis illuminatorum.*): *Custodi fidem a sola Ecclesia tibi tunc traditam, & ex omni Scriptura munitam.*

Fides actualis nihil aliud est, quam actus producti ab habitu fidei: qui vel interiores, vel exteriores esse possunt. Actus internus fidei, est firmus assensus, qui præstatur alicui veritati, quia Deus eam revelavit: Actus externus, est signum externum & sensibile, quo significamus id quod interius credimus.

Quæst. 5. Quodnam est discrimen inter fidem vivam & fidem mortuam, seu informem?

Resp. Fides viva illa est quæ animatur a charitate, quæ vitam tribuit animæ, & sine qua nulla virtus proficit ad salutem, ut ait Apostolus (1. *ad Cor. c.* 23. *v.* 2.): „ Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem „ scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes „ transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. „ Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates „ meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, „ charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. “

Fides mortua, seu informis, ea dicitur, quæ est sine charitate, quæ est fidei veluti forma & perfectio: quoniam quidem ei perfectionem tribuit, & pretium: de qua loquitur Beatus Jacobus Apostolus, dum ait (*Ep. Jacob. c.* 2. 17.): *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*

Quæst. 6. Quid est fides historica, & fides promissionis?

Resp. Fides historica ea est, qua assentimur omnibus a Deo revelatis. Fides promissionis est fiducia obtinendi, quæ Deus promisit: & hæc duplex est, altera generalis, qua credimus Deum remissurum peccata omnibus vere pœnitentibus, daturum omnibus justis vitam æternam: Altera particularis, quam Calvinus ejusque Sectatores asserunt sitam esse in quadam particulari confidentia, seu fiducia, quam Deus tribuit justis, qua credunt, sua sibi remissa esse peccata per justitiam Domini nostri Jesu-Christi, quæ illis independenter a propriis meritis applicatur: quod quidem multis Scripturæ Sacræ locis contrarium est, ex qua constat, neminem sine speciali revelatione certo scire posse, sibi remissa esse peccata; dicitur

dicitur enim in Ecclesiaste (*c.* 9. 1.): *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit* : & Divus Paulus, qui usque ad tertium cælum raptus fuerat, ait (1. *ad Cor.* 4. v. 4.): *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Unde Concilium Tridentinum ait (*sess.* 6.): *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certe, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit*.

Quæst. 7. Quid est fides, quæ est donum Spiritus sancti; & quomodo differt a fide, quæ est virtus Theologica?

Resp. Fides, quæ vocatur Spiritus-Sancti donum, est gratia gratis data, quæ datur ad patranda miracula; qua fit, ut is qui eam habet, magna cum fiducia credat se impetraturum a Deo, quidquid ab eo postulaverit: differt autem a fide quæ virtus est Theologica, in eo quod fides, quæ virtus est, non reddat fideles, & omnium sit virtutum ac bonorum operum initium, sine qua impossibile est placere Deo, ut ait Apostolus (*ep. ad Heb. c.* 11. v. 6.): *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*. Fides autem alia, est donum, & gratia gratis data, ut ait idem Apostolus (1. *ad Cor. c.* 12): *Divisiones vero gratiarum sunt .... Alii datur sermo scientiæ secundum spiritum: alteri fides in eodem spiritu*. Secundo vero differunt, quod fides, quæ virtus est, nec major, nec minor esse possit, saltem ex parte objecti: quoniam is qui fidem habet, credit omnia quæ revelata sunt; is autem qui non credit omnia, verum etiam qui dubitat de aliquo fidei articulo, non habet virtutem fidei, & est infidelis; sed fides, quæ est donum Spiritus Sancti, potest esse major, vel minor; quod patet ex eo, quod ait Christus Dominus in Evangelio (*Luc.* 17. 16.): *Si habueritis per fidem sicut granum sinapis*; hoc est, donum fidei, licet exiguum. Differunt etiam, eo quod fides, quæ est donum, supponat fidem, quæ est virtus, quæ potest haberi sine dono fidei, ut patet ex verbis Christi Domini alloquentis Apostolos (*Matth.* 17. 19.): *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*: quibus verbis indicavit Christus Dominus, discipulos suos non habuisse eam fidem, quæ daret eis potestatem faciendi miracula: certum tamen est, eos habuisse virtutem fidei, quia credebant omnia, quæ a Christo Domino ipsis proponebuntur, quæque continebantur in antiquo Testamento; secus enim in continuo vixissent peccato mortali.

Quæst. 8. Fides sine operibus sufficit-ne ad justificationem?

Resp. Antiqua prorsus hæresis est, quæ suam Simoni Mago debet originem, quamque superiori sæculo renovare voluere Calvinistæ, asserendo, solam fidem sufficere ad

ad nos justificandos, bonaque opera non esse necessaria. Sanctus Irenæus loquens de Simone Mago, qui se dicebat Christum esse, qui Jerosolymis passus est, ait (*l.* 1. *c.* 10.): *Hi qui in eum & in solemnem ejus spem habebant, & ut liberos agere quæ velint; secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas*. Et sanctus Augustinus loquens de eadem hæresi, quæ Apostolorum temporibus incepit, quoniam eo tempore Simon cum suis sectatoribus dicebat, fidem sufficere ad salutem, bonaque opera necessaria non esse: *Quoniam ergo*, inquit sanctus Augustinus (*de fide & operibus*, *c.* 14.), *hæc opinio fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruat, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur*.

Idem sanctus Doctor in alio loco ostendit, sanctum Jacobum minime contrarium esse Divo Paulo, cum ait (*in Ps.* 91.): „ Fide justificatus est Abraham. Jam qui „ audit, *Non ex operibus, sed ex fide*; observet illam voraginem, de qua locutus sum. Vides ergo, quia ex fide, „ non ex operibus justificatus est Abraham. Faciam ergo „ quidquid volo, quia etsi bona opera non habuero, & „ tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad justitiam. Si dixit, & decrevit, lapsus demersus est: si adhuc cogitat, & fluctuat, periclitatur: scriptura autem „ Dei utriusque intellectus non solum periclitantem a periculo liberat, sed & demersum a profundo elevat. „ Respondeo ergo tanquam contra Apostolum, & dico de „ ipso Abraham, quod invenimus etiam in Epistola alterius „ Apostoli, qui volebat corrigere homines, qui male intellexerunt istum Apostolum. Jacobus enim in Epistola sua, contra eos qui nolebant bene operari, de sola „ fide præsumentes, ipsius opera Abrahæ commendavit, „ cujus Paulus fidem; & non sunt sibi adversi Apostoli. „ Dicit autem Abrahæ opus omnibus notum. Abraham „ filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, „ sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, „ sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem „ rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecumque illud opus esset. Rursum si sic teneres fidem „ Abraham, ut cum ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum, non „ facio, & tamen credo, quia etiam contemnentem jussa sua liberat Deus: Fides sine operibus mortua esset, „ & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret “. Hæc Divi Augustini verba satis ostendunt, tam secundum sanctum Paulum, quam secundum sanctum

Jacobum, fidem & bona simul opera ad salutem desiderari, & esse necessaria.

Quæst. 9. Quænam tenemur specialiter & explicite credere?

Resp. Ex S. Thoma (2. 2. *qu.* 2. *art.* 6. *in corp.*), *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina scriptura continet.*

Et S. Carolus (*Act. p.* 4. *Instruct. Confess.*) (*): Quisquis ad usum rationis pervenit, tenetur sub pœna peccati mortalis, scire omnes illos Symboli Apostolici articulos, qui solemniter ab Ecclesia celebrantur, saltem quoad substantiam; & præcepta Dei & Ecclesiæ, ad quæ obligamur sub pœna peccati mortalis.

Unde etiam in Synodo Æsina a Petro Matthæo, postea Cardinali Petruccio, celebrata (*an.* 1683. *tit.* 2.), sic statuitur: „ Quoniam non satis est Orationem Dominicam &c. memoriter scire, nisi aliqua cognitio de præcipuis Christianæ fidei mysteriis possideatur, & explicite Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi mysterium, Deumque redditorem præmii, vel pœnæ, a quolibet Christicola sciri necesse sit, ut absolutionis sit capax: idcirco stricte mandamus cuicumque Confessario, ut hominum, vel mulierum, quos ipse nescit, an hæc noverint, confessionem excepturus, unumquemque interroget, an sciat, quid sit mysterium Sanctissimæ Trinitatis? quis Jesus Christus? quid paradisus & infernus? aliaque ad hæc spectantia. Quod si, ut persæpe contingit in rudioribus, responsa audiat a veritate aberrantia, nullatenus absolutionis munus impertiat, nisi prius horum veritatem mysteriorum ignaros edoceat. Ejusdem munus erit Confessarii, aliquam addere simpliciter breviterque notitiam quoad Divinum Eucharistiæ mysterium, & quoad partes Pœnitentiæ, ut validum sit Sacramentum. Caveant, ne hæc omittant Confessarii; negligentes enim æterno Judici rationem hujuscemodi omissionis reddituros esse, iterum iterumque monemus.

„ Parochis autem, quibus tam serio a Sacra Tridentina Synodo officium Christianam edocendi doctrinam impositum

(*) Ogni uno che sia pervenuto all'uso della ragione, è obbligato sotto pena di peccato mortale, a sapere tutti quelli articoli del simbolo Appostolico, che sono solennizati dalla santa Chiesa, e quali siano almeno quanto alla sostanza, e li comandamenti di Dio e della santa Chiesa, che obbligano a peccato mortale.

„ ſitum eſt, addimus, quod ſi quis noſtris, non obtem-
„ perare præceptis auſus fuerit, & abſque juſta cauſa,
„ pueros puellaſque quolibet Dominico die, & ſecun-
„ dis feriis Reſurrectionis & Pentecoſtes, chriſtianis
„ præceptis imbuere neglexerit, pecuniaria pœna a no-
„ bis vel noſtro Vicario taxanda, in pioſque uſus ero-
„ ganda, punietur, leviori pro prima vice, at ſecunda
„ & tertia vice graviori. Quod ſi quatuor continuis vi-
„ cibus, vel octo interpolatis in anno, ſine juſta cau-
„ ſa a Nobis, vel Vicario noſtro approbanda, miniſte-
„ rio huic ſatisfacere contempſerint, ipſo facto ſuſpen-
„ ſionem a Divinis Nobis reſervatam incurrant.

„ Sciant quoque Confeſſarii, parentes, qui neque ipſi
„ per ſe, ſi huic apti ſunt muneri, filios ea quæ ad ſalu-
„ tem ſunt neceſſaria edocent, neque per alios, neque
„ eos in Eccleſiam, ubi poſſint erudiri, mittere ſata-
„ gunt, in peccato mortali vitam trahere, & niſi eos
„ hujus pœniteat ſceleris, abſolutionis eſſe incapaces.
„ Quapropter parentes tutoreſve tantæ obligationis Con-
„ feſſarii reddant certiores, atque interrogent eos, an
„ huic ſuæ ſatisfaciant obligationi; & alias monitos,
„ emendationemque detrectantes, nequaquam abſol-
„ vant".

Cardinalis Antonius Barberinus in Synodo Senogal-
lienſi (*ann.* 1527. *c.* 5. *n.* 6.): „ Volumus, *inquit*, & o-
„ mnino obſervari jubemus, ut qui, ſive mas, ſive mu-
„ lier, neſcit culpa ſua, eo videlicet quod edoceri ut opus
„ erat non curaverit, orationem Dominicam, ſalutatio-
„ nem Angelicam, fidei Symbolum, & decem legis præ-
„ cepta, ad matrimonium contrahendum a Parocho non
„ admittatur: patrinus in baptiſmate aut confirmatione
„ eſſe non poſſit: ad quoſcumque Ordines vel primam
„ tonſuram non admittatur".

Denique Innocentius undecimus damnavit ſequentem propoſitionem (*Propoſitio* 22.); *Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

Quæſt. 10. Tenemur-ne frequenter actus fidei elicere, & intereſt-ne hoc ad ſalutem?

Reſp. Cum fides ſit initium, & radix vitæ Chriſtianæ, & ut ait Apoſtolus (*ad Galat. cap.* 4. *v.* 11.), *juſtus ex fide vivat*; ſequitur, nos ſæpe elicere debere actus hujus virtutis, ſi velimus in juſtitia permanere. Et ſancta Sedes expreſſe damnavit opinionem eorum qui audebant aſſerere, ſufficere habitum, non autem deſiderari actus fidei: hoc præceptum non obligare ſpecialiter & per ſe: ac demum ſufficere, ſemel in vita fidei actum exercere: cum damnavit ſequentes propoſitiones (*Propoſ.* 46.): *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.*

Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere. (*Propoſ.* 17.).

Quæst. 11. Tenetur-ne quis sincere fidem confiteri, si a potestate publica interrogetur?

Resp. Tenetur omnino, & silentium in his casibus foret grave peccatum; ut enim ait Apostolus (*Ad Rom. c.* 10.): *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.*

„ Quid prodest, *inquit sanctus Augustinus* (*in serm.* „ *de Apost. Paulo*, 24. *in suppl. tom.* 1.), corde credi- „ disse ad justitiam, si os dubitet proferre, quod corde „ conceptum est? Intus fidem Deus videt, sed parum „ est; ne confitearis humilem, times superbos, qui pro „ te displicuit superbis .... De Christi nomine erubescis „ modo hominibus; ex eo quod erubescis modo, habes „ erubescere, cum venerit in gloria sua redditurus, quod „ promisit bonis, quod minatus est malis: ubi eris tu? „ quid facies si te attendat ille Excelsus, & dicat tibi; „ erubuisti de humilitate mea, non eris in charitate „ mea? Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris „ impudentia, si impudentia dicenda est".

Innocentius undecimus, eodem Divi Augustini spiritu animatus, sequentem propositionem damnavit: (*Propositio* 25.): *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno.*

Quæst. 12. Quænam sunt peccata fidei contraria?

Resp. Infidelitas; Apostasia, Hæresis, & Blasphemia.

Quæst. 13. Infidelitas quotuplex est?

Resp. Ex sancto Thoma (2. 2. *q.* 20. *art.* 1. *in corp.*), „ Infidelitas dupliciter accipi potest: uno modo secundum „ puram negationem, ut dicitur infidelis ex hoc solo quod „ non habet fidem: alio modo potest intelligi infidelitas „ secundum contrarietatem ad fidem, quia scilicet ali- „ quis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, „ secundum illud Isaiæ 51. *Quis credidit auditui nostro?* „ Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis: & se- „ cundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem acci- „ piatur secundum negationem puram, sicut in illis qui „ nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, „ sed magis pœnæ, qua talis ignorantia divinorum, ex „ peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic „ sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, „ quæ sine fide remitti non possunt; non autem damnan- „ tur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus di- „ cit *Joan.* 11. *Si non venissem, & locutus eis non fuis-* „ *sem, peccatum non haberent.*

Et ut ait Divus Augustinus (*de corrept. & gratia lib. unic. c.* 7.), *Sicut veritas loquitur; nemo liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit.*

Quæst.

Quaest. 14. Quid est Hæresis?

Resp. Hanc clare explicat Sanctus Bonaventura, dum ait (*in 4. sent. dist. 13. dub. 4.*): *Hæreticus est, qui divinæ legis ignorantia, vel contemptu, pertinax inventor proprii erroris, aut alieni sectator, Catholicæ veritati mavult adversari, quam subjici*. Notandum hic cum Sancto Thoma (*2. 2. q. 11. art. 1. in corp.*), quod *Hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt*. Pertinacia autem, ad hoc ut aliquis sit hæreticus, est absolute necessaria, ut docet Sanctus Augustinus his verbis (*contra Donat. ep. 162.*): „ Dixit Apostolus Paulus: Hæreticum „ hominem post unam & secundam correptionem devita; „ sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delin„ quit, cum sit proprio judicio condemnatus. Sed qui „ sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, „ nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam „ non audacia suæ præsumtionis pepererunt, sed a sedu„ ctis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quæ„ runt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, „ cum invenerint: nequaquam sunt inter hæreticos compu„ tandi". Hoc autem intelligi nequit de illis, qui pertinaciter tuentur errores expresse ab Ecclesia damnatos, quia amplius citra pertinaciam, & hæresim, defendi non possunt.

Quaest. 15. Qui dubitat de aliqua fidei veritate, labitur ne in crimen hæresis?

Resp. Fides consensum exigit constantem, & firmum, quia revelationi primæ veritatis innititur, quæ nec falli, nec fallere potest: quare qui veritati satis sibi manifestatæ acquiescere nolens, adhuc dubitare præelegit, hæreticus merito habendus est; ut enim dicitur in Canone, *Dubius in fide infidelis est* (*Cap. 1. de hæreticis, Propos. 21. damnata*). Et Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabilis revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus*.

Si autem hæc dubia quamprimum rejiciantur, non modo peccatum non erit, verum etiam cedit in meritum; si adsit negligentia, pro modo negligentiæ majus aut minus peccatum erit. Dubium autem in fide, esset aliqua ratione voluntarium, si illi voluntaria præbetur occasio, v. g. lectione pravorum librorum, liberiori confabulatione de rebus fidei, nimiaque cum hæreticis frequentatione, temerariis cum ipsis disputationibus, aut periculosa curiositate publicos eorum sermones audiendo, aut alia quavis mala intentione. Quæ quidem occasiones magis aut minus periculosæ sunt, secundum scientiam & constantiam fidei diversarum personarum.

Quaest. 16. Quid est apostasia?

Resp. Definiri potest; A fide, obedientia aut Religione, in qua quis professus est, temerarium recessus; ita scilicet

licet explicatur a Glossa (*Glossa in c. 1. de Apost. in verbo Apostasia*): „ Est autem , *inquit*, triplex apo„ stasia , scilicet perfidiæ , quando quis recedit a fide . „ Inobedientiæ , quando quis transgreditur præceptum . „ Irregularitatis , cum quis recedit ab ordine suo sive „ sumptæ religionis “ . Ita videtur lato modo Apostasiam sumere D. Gregorius , dum ait (*in Ezech. l. 2. hom. 9.*) : „ Sicut enim duobus modis a Deo receditur , ita duobus „ modis Deo apostatæ homines fiunt . Nam unusquisque „ a conditore suo , aut fide recedit , aut opere . Sicut „ ergo , qui a fide recedit , apostata est ; ita qui ad „ perversum opus , quod deserit , redit , ab omnipotente „ Deo apostata absque ulla dubietate deputabitur , et„ iamsi fidem tenere videatur “ . Attamen , ut notat Sanctus Thomas (2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *in corp.*) , „ simpli„ citer , & absolute est apostasia , per quam aliquis dis„ cedit a fide “ . Cujus exemplum celebre satis habemus in Juliano Imperatore , qui vocatus est Apostata , eo quod Religionem Christianam , quam professus erat , deseruisset .

Quæst. 17. Quid est blasphemia ?

Resp. Ut ait Sanctus Antoninus (2. *p. tit.* 8. *c.* 7. *in princip.*): „ Potest sic describi ex verbis Ambrosii , „ quod est vitium , quo attribuitur Deo , quod ei non „ convenit ; vel removetur ab eo , quod ei congruit , ut „ si dicatur de eo aliquid importans defectum , puta quod „ non sit justus , vel quod non sit omnipotens , & hu„ jusmodi “ . Verum paucis verbis Sanctus Augustinus explicat , quid sit blasphemia , dum ait (*de morib. Manich. lib.* 2. *c.* 11.) ; *Jam vero blasphemia non accipitur , nisi mala verba de Deo dicere* . Sanctus autem Thomas juxta verba Apostoli 1. ad Timotheum c. 1. *Prius blasphemus fui , & persecutor* ; & postea subdidit (2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *sed contra*) : *Ignorans feci in incredulitate mea ; Ex quo videtur , quod blasphemia ad infidelitatem pertineat* .

Quæst. 18. Blasphemia est-ne grave peccatum ?

Resp. Quis dubitet , sit-ne blasphemia gravissimum peccatum , cum videatur immediate Deum ipsum impugnare ? Quare blasphemus morte plectebatur in antiqua lege : sic enim legitur Levitici capite 24. „ Qui blasphe„ maverit nomen Domini , morte moriatur . Nihil hor„ ribilius blasphemia , *inquit S. Hieronymus* (*in Isai.* „ *c.* 18. *lib.* 7.) , quæ ponit in Excelsum os suum .... „ Omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ , le„ vius est . *S. Augustinus sic de ea loquitur* (*contra* „ *mendac. lib. unico cap.* 19.) : Ideo pejus est blasphe„ mare , quam pejerare ; quoniam pejerando falsæ rei „ adhibetur testis Deus , blasphemando autem , de ipso „ falsa dicuntur Deo “ .

Unde de hoc impio crimine sic loquitur Illustrissimus Laurentius Kreaytter de Corvinis , Episcopus Vestanus ,

in

in Synodo (*anno* 1699. *cap.* 3.): *Execrabile blasphemiæ crimen, ad cujus comparationem minus est peccatum omne, teste D. Hieronymo dicente*: Omne peccatum blasphemia levius est; *quia scribit Theodoretus*, Cum Deum interficere non possit, lingua ferit, *pro viribus a nostra Diœcesi eliminare cupientes, volumus, quod nullus Confessarius, neque nostræ Cathedralis Penitentiarius, audeat blasphematores tales absolvere, sub pœna suspensionis a divinis per triennium, nisi in mortis articulo. Blasphemi autem numquam sperent, se fore absoluturos, nisi de tanto crimine publicam ad populi ædificationem penitentiam fecerint nobis arbitrariam; & maxime quando blasphemia erit habitualis, & publica, & cum advertentia*. Videatur Bulla Pii V. §. 10. in fine Tomi hujus sexti.

Quæst. 19. Blasphemia cum præcipitatione, & absque deliberatione prolata, est ne semper mortale peccatum?

Resp. S. Thomas, quem & sequitur S. Antoninus, ait 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. *ad* 3.): „Blasphemia potest absque de„liberatione ex surreptione procedere dupliciter: uno „modo quod aliquis non advertat, hoc quod dicit esse „blasphemiam: quod potest contingere, cum aliquis „subito ex aliqua passione in verba imaginata prorum„pit, quorum significationem non considerat: & tunc „est peccatum veniale, & non habet proprie rationem „blasphemiæ. Alio modo, quando advertit hoc esse bla„sphemiam, considerans significata verborum: & tunc „non excusatur a peccato mortali: sicut nec ille, qui „ex subito motu iræ aliquem occidit".

Ad intelligentiam horum verborum, advertendum est, quod blasphemia absque deliberatione, provenire potest duabus ex causis; quarum prior est violentia passionis, quæ facit, ut proferantur verba blasphemiæ, non reflectendo ad significationem hujusmodi verborum: & in hoc sensu ait Sanctus Thomas, esse peccatum veniale. Verum si blasphemia non deliberata proveniat ex prava blasphemandi consuetudine, blasphemus hic considerari potest dupliciter; vel cum dolet de peccatis præteritis, & omnem adhibet diligentiam, ut suæ naturæ pronitatem, & inclinationem in hunc habitum impediat, atque præveniat, & deordinatos motus puniat; & tunc videtur excusandus, saltem a mortali, cum verbum aliquando malum ex consuetudine possit proferri ab homine vere pœnitente, sine ulla prævia cogitatione. Si vero hujusmodi blasphemus nullam de commissis peccatis pœnitentiam faciat, aut si ita cum pœniteat, ut tamen necessariam non adhibeat diligentiam, ut se corrigat, malique habitus effectum impediat; tunc blasphemarum suarum reus est, licet secundum se consideratæ, forent involuntariæ; quia voluntariæ sunt in causa nempe in habitu, cum verum sit dicere, talem in pravo habitu velle languere, qui non adhibet omnem conatum, ut eum peni-

tus extirpet; & ita intelligendus est Divus Thomas, dum ait, indeliberationem non excusare blasphematores a peccato mortali. Unde etiam idem Sanctus Thomas ait (1. 2. q. 71. a. 7. in corp.) *Aliquid potest esse voluntarium, vel secundum se, sicut quando voluntas directe in ipsum fertur; vel secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non est in effectum*. Vide quæ diximus tomo 1. tr. 1. c. 15. de habitu.

CAPUT II.

De Spe.

Quæst. 1. QUid est Spes?

Resp. Est virtus Theologica, quæ a Magistro sententiarum definitur (*Lib.* 3. *dist.* 6.): *Expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis.*

Spes est virtus Theologica, quia Deum habet primum, & principale objectum: ut enim ait S. Thomas (2. 2. *c.* 17. *a.* 2. *in corp.*): *Non minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse: cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam ejus essentia; & ideo proprium & principale objectum spei est beatitudo æterna.* Quamvis omnia bona spiritualia, imo temporalia, quæ sunt necessaria aut utilia ad salutem, possint esse objectum minus principale hujus virtutis, ut enim ait S. Augustinus (*c.* 114. *in Enchirid.*): *Et si quidem ad spem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur.* Dicitur autem, *expectatio certa*. Spes enim innititur infallibili Dei promissioni, cujus certi sumus per fidem. Sic Apostolus Paulus de Abrahamo loquens, ait (*Rom.* 4. 20.): „ In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, „ plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est „ facere. *Idemque Apostolus, ut spei nostræ certitudinem ostendat, dicit* (*ad Hebr. c.* 6.:) Confugimus ad „ tenendam propositam spem, quem sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. *Et ut notat S. Augustinus* (*in Ps.* 64.): Jam spem in illam terram „ quasi anchoram præmisimus, in isto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergo de navi, quæ in an„ choris est, recte dicimus, quod jam in terra sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodammodo educta „ est contra ventos, & contra tempestates: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata „ in illa civitate Jerusalem, facit nos non abripi in saxa.

Additur, *ex Dei gratia, & nostris meritis*. Quoniam, ut ait Apostolus (*ad Rom. c.* 6.): *Gratia Dei vita æterna*; & in alio loco (2. *ad Cor. c.* 3.): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ad Philippenses c. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere*

cere pro bona voluntate. Verum cum gratia Dei, nostra quoque desideratur cooperatio; & quoniam de nobis ipsis, viribusque nostris semper metuere, & formidare debemus, ne propter peccata nostra Dei promissa in nobis non compleantur; idem Apostolus in eodem loco ait: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Quoniam, ut ait S. Augustinus (*Ser.* 10. *ad fratres in Erem. qui S. Aug. tribuitur.*) *Qui sperat, & non timet, negligens est: qui autem timet, & non sperat, depressus est, & descendit ad profundum quasi lapis.*

Quæst. 2. Quænam peccata committi possunt contra virtutem spei?

Resp. Peccatur in hanc virtutem duobus extremis, desperatione scilicet, & præsumptione. Et, ut ait Sanctus Augustinus (*in Evang. ad Joan. tr.* 33 *q.* 6. *ar.* 1. *ad Gall. cap.*): „ Ex utroque homines periclitantur, & sperando, „ & desperando, contrariis rebus, contrariis affectioni- „ bus. Sperando quis decipitur, qui dicit, bonus est Deus, „ misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod „ libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam de- „ sideria animæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est „ Deus, bonus est Deus, mansuetus Deus; spe isti pe- „ riclitantur. Desperatione autem, qui cum inciderint in „ gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci „ pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem sine „ dubio destinatos, dicunt apud semetipsos; Jam da- „ mnandi sumus, quare non quod volumus facimus? „ Istos desperatio necat, spes illos: inter spem, & de- „ sperationem fluctuat animus. Metuendum est, ne te „ occidat spes, & cum multum speras de misericordia, „ incidas in judicium. Metuendum est rursus, ne te oc- „ cidat desperatio & cum putas jam tibi non ignosci, „ quæ gravia commisisti, non agas pœnitentiam, & in- „ curras in judicem Sapientiam, quæ dicit; *Et ego ve- „ stræ perditioni superridebo*. Quid ergo agit Dominus „ cum periclitantibus utroque modo? Illis qui spe peri- „ clitantur, hoc dicit, *Ne tardes converti ad Dominum, „ neque differas de die in diem; subito enim veniet ira „ illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Illis qui „ desperatione periclitantur, quid dicit? “ In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar.

Quæst. 3. Quomodo peccatur per desperationem?

Resp. Desperatione peccatur, cum desperat quis, posse consequi remissionem peccatorum, & vitam æternam; ut accidit Judæ traditori, de quo Sanctus Leo ait (*ser.* 3. *de Pass. cap.* 3.): „ Scelestior omnibus Judas, & in- „ felicior, quem non pęnitentia revocavit ad Domi- „ num, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses „ consummationem criminis tui, & donec Sanguis Chri- „ sti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis le- „ thi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam

„ tot

„ tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem „ a præcipitio tuo Sacramenta revocassent, quæ in Pa- „ schali cœna, jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ „ detectus, acceperas. Cur de ejus bonitate diffides, qui „ te a corporis, & sanguinis sui communicatione non re- „ pulit? Qui tibi ad comprehendendum se cum turbis, „ & armatorum cohorte venienti, pacis osculum non ne- „ gavit? Sed homo inconvertibilis, *spiritus vadens, & „ non revertens*, cordis tui secutus es rabiem, & stante „ Diabolo dextris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum „ omnium armaveras caput, in tuum verticem retorsi- „ sti: ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis „ excesserat, te haberet impietas tua judicem, te pate- „ retur tua pœna carnificem.

Et Gennadius, in tractatu, qui sancto Augustino tribuitur, satis indicat gravitatem hujus peccati, cum ait (*de vera, & falsa pœnit. lib. un. cap. 5. in tom. 4. S. August.*): „ Quid enim aliud est desperare, quam Deum „ sibi comparare? Nam qui de Deo non præsumit ve- „ niam, non animadvertit, plus peccato suo, Dei posse „ clementiam. Si enim sentiret Deum magis bonum, „ quam se malum, quicquid in se justitiæ non inveniret, „ a Deo magis bono expectaret. Et quidem diffidit: quia „ summi boni bonitatem majorem sua nequitia non sen- „ tit. Ille enim solus diffidat, qui tantum peccare pot- „ est, quantum Deus bonus est. Cum sit autem nullus, „ qui hoc possit: qui timet de se malo, præsumat de me- „ liore; Diabolus enim, & omnis nequitia minor est, „ quam Dei misericordia. *Et, ut ait Sanctus Gregorius* „ (*in Expos. 4. Ps. pœnit.*), Omnipotenti medico ni- „ hil est insanabile, qui sicut medetur sine pretio, ita „ salutem restituit verbo. Desperarem ergo de vulnere, „ si non præsumerem de omnipotente “.

Quæst. 4. Quænam est origo peccatorum desperationis?

Resp. Ex S. Thoma, oritur præsertim ex duabus causis, luxuria scilicet, & acedia “. Nam *ait* (*2. 2. q. 20. art.* „ *4. in corp.*), ex affectu harum delectationum contin- „ git, quod homo fastidit bona spiritualia, & non sperat „ ea quasi quædam bona ardua: & secundum hoc despe- „ ratio causatur ex luxuria .... & quia acedia est tristi- „ tia quædam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum „ desperatio ex acedia generatur: hoc autem est proprium „ objectum spei, quod sit possibile ... Unde specialiter „ oritur ex acedia. Potest tamen oriri ex luxuria, ratio- „ ne jam dicta. *Unde Sanctus Basilius ait* (*exhort. ad* „ *baptiz.*): Neque is, qui ab ignavia, & socordia re- „ motus est in desperationem umquam incidet: neque „ is, qui se læta alitur, ac de sua salute minime despe- „ rat, in socordiam umquam prolabi poterit. Quare cu- „ ra diligentiaque, quæ procurandæ saluti adhibetur, de- „ sperationem impedit; & spes viva, quam in corde „ conservamus, acediam omnem, & negligentiam amovet.

Quæst. 5. In quo consistit peccatum præsumptionis?

Resp. Peccatur ex præsumptione, cum quis putat acquirere posse gratiam, aut gloriam æternam propriis viribus, aut sperat se consecuturum veniam peccatorum sola Dei misericordia absque pœnitentia, aut vitam æternam sine bonis operibus: „ Si se homo justificaverit, *in-* „ *quit Sanctus Augustinus* (*in Ps.* 31. *in præfat.*), & de „ justitia sua præsumpserit, cadit; si considerans, & co- „ gitans infirmitatem suam, & præsumens de misericordia „ Dei, neglexerit vitam suam mundare a peccatis suis, „ & se omni gurgite flagitiorum demerserit; & ipse ca- „ dit .... Audiamus vocem Dei dicentem nobis: Ne præ- „ sumas ad Regnum de justitia tua, ne præsumas ad „ peccandum de misericordia Dei: illuc si ascenderis, „ præcipitaberis: hoc si lapsus fueris, demergeris. *Et* „ *ut ait sanctus Gregorius* (*mor. in Job. lib.* 22. *c.* 3. *in* „ *fin.*): Præsumptio virtutis propriæ tanto gravius in „ desperatione est, quanto longius ab humilitate, cum- „ que vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recur- „ rit authoris, fitque, ut in gravius peccator pereat, „ quo & ipsum hoc, quia est peccator ignorans". Verum ii, qui a divina bonitate omnia sperant, nec diligenter satis saluti suæ consulunt, incidunt in præsumptionem periculi plenam: quoniam certum est, ut ait D. Bernardus (*ser.* 3. *super Salve Regina*), *quod spes sine vita virtutum, & devotionis dulcedine, non est spes, sed præsumptio.*

Quæst. 6. Quænam peccata revocantur ad primam prædictarum præsumptionem, qua quis nimis sibi ipsi, & non satis Deo confidit?

Resp. Peccatur hac præsumptione, cum quis in suis necessitatibus, tum spiritualibus, cum corporalibus, non confugit ad Deum per orationem; sed suæ confidit industriæ, aut amicorum auxilio: denique cum quis mediis humanis tantum nititur, & negligit implorare divinum auxilium, contra id quod dicitur Jeremiæ cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.*

Peccat etiam hoc præsumptionis genere, qui se exponit periculo offendendi Deum; nec diligenter vitat proximas peccandi occasiones; cum differt ad Dominum converti, hac falsa spe, quod semper aderit opportunum conversionis tempus, contra id quod dicitur Ecclesiast. c. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Aut etiam cum prætextu aliquarum eleemosynarum, quæ erogantur, aut aliquorum operum bonorum, perseverat aliquis in crimine, hoc modo sperans se effugere posse Dei vindictam, ejusque iram mitigare, quem suis sceleribus semper offendit. „ Crudelis humani generis inimicus, *inquit S. Egi-* „ *dius* (*hom.* 8. *in die Cœnæ Domini in Bibliot. Pa-* „ *trum*),

„ *trum*), aliquibus vanam securitatem ingerit, ut cum
„ crimina quotidiana committunt, putent, quod Deus
„ corruptorum judicum more, pecuniam accipiat, &
„ peccata dimittat. Accipit plane Deus pecuniam, & e-
„ leemosynis delectatur, ea tamen ratione, ut unusquis-
„ que peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat il-
„ li & animam suam. Quænam, fratres, justitia est, ut
„ aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam
„ Deo offerat, & animam suam Diabolo per iniqua ope-
„ ra tradat? in pecunia imaginem Imperatoris offert
„ Deo, & in se ipso imaginem Dei tradit Diabolo .....
„ Nam quamlibet largas eleemosynas aliquis tribuat, si
„ capitalia crimina non declinat, timeo, ne falsa teme-
„ ritate deceptus, & pecuniam perdat, & peccatum non
„ redimat ".

Quæst. 7. Quænam peccata reducuntur ad præsumptionem, qua quis nimium confidens divinæ misericordiæ, suæ negligit consulere saluti?

Resp. Incidit in hanc præsumptionem, qui tentat Deum: cum V. G. se temere magis exponit periculis tum animæ, tum corporis, sperans divina ope se evasurum: similiter dum sperat a Deo se peccatorum veniam consecuturum, quocumque tandem modo vivat; & hac fiducia fretus, emendationem sui negligit: *Qui male agere non desistunt*, inquit venerabilis Beda post sanctum Isidorum (*in scintillis, cap. 33. de spe, ex Isidoro*), *vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam recte quærerent, si ab actione prava cessarent. Metuendum valde est, ut neque per spem veniæ, quam promittit Deus, perseveranter peccemus; neque, quia juste peccata distringit, veniam desperemus; sed utroque periculo evitato, & a malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus*. Et, ut ait sanctus Augustinus (*ser. 47. de verbis Dom.*), *ex utroque homines periclitantur, & sperando, & desperando*.

CAPUT III.

De Charitate.

Quæst. I. QUid est Charitas?

Resp. Est virtus Theologica, qua Deum propter se super omnia, proximum vero sicut nosmetipsos propter Deum diligimus. Dicitur virtus Theologica, quia Deum habet pro objecto, ad quem super omnia diligendum nos inclinat, ut ait Sanctus Bonaventura his verbis (*in 4. dist. 16. art. 2. q. 1. in corp.*): *Dico, quod ad hoc, quod aliquis habeat charitatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum*. Additur, qua proximum sicut nosmetipsos propter Deum diligimus. Ut enim

enim ait ſanctus Gregorius : „ Si quis quemlibet amat, „ ſed propter Deum non amat, charitatem non habet : „ ſed habere ſe putat. Charitas autem vera eſt : cum „ & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur „ inimicus ; ille enim propter Deum diligit eos, quos „ diligit, qui jam & eos diligere, a quibus, non dili- „ gitur, ſcit.... Ille ergo ſecurus amat, qui propter Deum „ illum amat, a quo ſe intelligit non amari. Magna „ ſunt hæc, alta ſunt hæc, & multis ad exhibendum „ difficilia : ſed tamen iſta eſt veſtis nuptialis : quiſquis „ autem hanc recumbens in nuptiis non habet, jam ſo- „ licitus metuat ingrediente Rege, quod mittatur foras “.

Quæſt. 2. Solus Deus eſt-ne objectum charitatis?

Reſp. Quamvis ex ſancto Auguſtino (*l.* 1. *de doctr. Chriſtian. c.* 23.) : *Quatuor ſunt diligenda, unum quod ſupra nos eſt, ſcilicet Deus ; alterum quod nos ſumus, ſcilicet anima noſtra ; tertium quod juxta nos eſt, ſcilicet proximum ; quartum quod infra nos eſt, ſcilicet proprium corpus* ; nihilominus charitas erga tria proximo loco enumerata, referenda eſt ad Deum, qui eſt unicum hujus virtutis objectum ; ut explicat Sanctus Bonaventura, his verbis (*in* 3. *diſt.* 27. *q.* 2. *n.* 13.) ; „ Actus „ charitatis eſt diligere : diligere autem idem eſt, quod „ velle bonum. Dum ergo charitas diligit aliquem, bo- „ num optat ei, quem diligit ; iſtud autem bonum, quod „ charitas diligit, unum ſolum eſt, videlicet bonum æ- „ ternum, & bonum ſummum ; iſtud autem ſummum „ bonum aliquando homo per charitatem optat Deo, „ aliquando ſibi, aliquando proximo. Secundum quod „ optat ipſum ipſi Deo, dicitur diligere Deum, quia „ vult, quod ipſe Deus ſit ſummum bonum, & quod „ habeat omne bonum per eſſentiam. Secundum quod „ optat illud proximo, ſic dicitur diligere proximum, „ quia vult, quod habeat illud bonum per gratiam, & „ gloriam. Secundum quod optat illud ſibi, ſic dicitur „ diligere ſe ipſum. Generaliter ergo in actu dilectionis „ ipſius charitatis unum eſt bonum optatum, licet mul- „ ta, quibus illud bonum optatur ; & illud eſt objectum „ principale ipſius habitus diligendi, quoniam ipſum „ propter ſe optatur a charitate, ita quod habet ratio- „ nem objecti principaliter moventis, & finis quietan- „ tis ; & quia illud eſt unum ſolum, ſive comparetur ad „ eum, qui habet charitatem, ſive comparetur ad ejus „ proximum, hinc eſt, quod charitatis habitus habet „ eſſe unus : *Quoniam Deum ſemper reſpicit ut unicum* „ *objectum, licet modis diverſis* “.

„ Et ſi objicias, *inquit idem Doctor* (*Ib. n.*14. *ad* 1.), „ quod charitas non tantum facit, quod homo velit pro- „ ximo bonum, quod Deus eſt, ſed etiam omne aliud „ bonum ; dicendum quod hoc non eſt principaliter, & „ elicitive, ſed quaſi conſequenter, & imperative ; “ Quia charitatem habemus, qua Deum unice diligimus,

ejus

ejus præceptis sponte obtemperamus, quibus vult, ut bonum proximi procuremus. Dici etiam potest cum Sancto Augustino (*de doctr. Chr. lib.* 1. *c.* 29.), *quod velle debemus, ut omnes diligant nobiscum Deum, & totum, quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est*. Certum igitur est, charitatem ad Deum ipsum, ut solum, & unicum suum objectum, omnesque hujus virtutis actus, ad Deum referri debere, tanquam ad eorum principium, atque finem. Unde ait sanctus Bernardus (*tr. de diligendo Deo c.* 1.): *Causa diligendi Deum, Deus est; modus, sine modo diligere*.

Quæst. 3. Quomodo intelligendum est hoc præceptum expressum in veteri, & novo testamento (*Deut. c.* 6. *Marc. c.* 12.): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua?*

Resp. Ex sancto Thoma (2. 2. *q.* 44. *art.* 5. *in corp.*): „ Præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in „ Deum, quod est, ex toto corde: & quod intellectus „ noster subdatur Deo, quod est, ex tota mente; & quod „ appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, „ ex tota anima; & quod exterior actus noster obediat „ Deo, quod est, ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere ".

Sanctus Joannes Chrysostomus, seu potius author operis imperfecti, explicat verba primi hujusce præcepti, quod omnia præcepta quodammodo complectitur, cum ait (*in cap.* 22. *Matth. hom.* 42.): „ Quid est diligere „ Deum ex toto corde? id est, ut cor tuum non sit in„ clinatum ad ullius rei dilectionem, amplius quam ad „ Dei; nec delecteris in aliqua specie mundi, amplius „ quam in Deo; non in honoribus, non in auro, vel in „ argento, non in possessionibus, aut vineis, non in ani„ malibus, aut mancipiis, non in ornamentis, aut vesti„ bus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis; sed hæc „ omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus „ Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis „ tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas „ Deum; pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad ali„ quam rem amandam inclinatum, pro tanta parte mi„ nus est ad Deum. Quid est in tota anima diligere „ Deum? id est, certissimum animum habere in verita„ te, & firmum esse in fide. Qui omne bonum credit „ apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, & ex„ tra Deum non credit esse bonum; qui credit, Deum „ omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse, ille tota „ anima diligit Deum. Quid est tota mente diligere „ Deum? id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad „ te, Deo vacent. Cujus intellectus Deo ministrat, & „ cujus sapientia circa Deum est: cujus cogitatio ea, „ quæ sunt Dei, tractat; cujus memoria, quæ sunt bo„ na, recordatur, tota mente diligit Deum ".

Tan-

Tandem sanctus Bernardus optime ad nostram instructionem explicat verba hujus primi præcepti, dum ait (*serm.* 10. *in Cant.*): „ Disce, o Christiane, a Christo
„ quomodo diligas Christum: disce amare dulciter, a-
„ mare prudenter, amare fortiter: dulciter, ne illecti:
„ prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore
„ Domini avertamur. Ne mundi gloria, seu carnis vo-
„ luptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia
„ Christus. Ne seducaris spiritu mendacii, & erroris,
„ lucescat tibi veritas Christus. Ne adversitatibus fatige-
„ ris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum in-
„ flammet Christus, informet scientia, firmet constan-
„ tia: sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec
„ teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus
„ sit. Et vide, ne forte tria ista tibi & in lege tradita
„ fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum
„ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota
„ virtute tua. Mihi videtur (si alius competentior sen-
„ sus in hac trina distinctione non occurrit) amor qui-
„ dem cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis:
„ animæ vero amor ad industriam, seu judicium ratio-
„ nis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri con-
„ stantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum
„ tuum toto & pleno cordis affectu; dilige tota rationis
„ vigilantia, & circumspectione; dilige & tota virtute;
„ ut nec mori pro ejus amore pertimescas, quoniam
„ fortis est ut mors dilectio ".

Quæst. 4. Tenemur ne observare hoc primum præceptum in tota plenitudine sua?

Resp. Sanctus Augustinus, & Sanctus Thomas asserunt hoc præceptum ita esse sublime, ut integra ejus, perfectaque completio reservata sit in alteram vitam, ejusque perfectioris charitatis defectum ad peccatum minime imputandum esse, dum sumus in hac vita, quoniam quidem infirmitas nostra tantæ perfectionis nos incapaces efficit: „ Proinde, *inquit Sanctus Augustinus* (*de Spiri-*
„ *tu*, & *litt. c.* 36.), hoc primum præceptum justitiæ,
„ quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota a-
„ nima, & ex tota mente, quod in illa vita complebitur,
„ cum videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc et-
„ iam nunc præceptum est, ut admoneremur, quid fide
„ exposcere, quo spem præmittere, & obliviscendo, quæ
„ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.
„ Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perfi-
„ cienda est justitia, multum in hac vita ille profecit,
„ qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo
„ cognovit. Sed dici potest quædam justitia minor, huic
„ vitæ competens, quia justus ex fide vivit; quamvis
„ peregrinus a Domino, & ideo per fidem ambulans,
„ nondum per speciem, non absurde dicitur etiam ad
„ istam pertinere, ne peccet; neque enim, si esse non-
„ dum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni

„ plenæ, perfectæque debetur, jam culpæ deputandum
„ est: aliud est enim, totam nondum assequi charitatem,
„ aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet
„ homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum
„ potest amare conspectum, nihil tamen appetere illici-
„ tum: sicut etiam in his, quæ adjacent sensibus cor-
„ poris, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis
„ non potest in fulgentissima luce defigi.

Idem sanctus Doctor alio in loco ostendit obligationem, quam nobis imponit hoc primum præceptum, ut totis viribus conemur, semper in via virtutis progredi, & in amore Dei, numquam dicendo satis est (*S. Aug. ser. 3. de verb. Apost. in fine*): „ Videtis, *inquit*, quia
„ viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? breviter
„ dico: proficere, ne forte non intelligatis, & pigrius
„ ambuletis. Proficite, fratres mei, discutite vos sem-
„ per sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non
„ enim aliquis est intus tecum, cui erubescas, & jactes
„ te; est ibi, sed cui placet humilitas: ipse te probet,
„ proba & te ipsum tu ipse: semper tibi displiceat,
„ quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es.
„ Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem di-
„ xeris, sufficit, periisti. Semper adde, semper ambu-
„ la, semper profice: noli in via remanere, noli retro
„ redire, noli deviare ..... Melius it claudus in via,
„ quam cursor præter viam “.

Sanctus Thomas multis in locis hujus primi præcepti amoris Dei obligationes explicat conformiter huic sancti Augustini doctrinæ; sed præsertim cum ait (2. 2. q. 24. *art.* 8. *in corp.*): „ Ex parte diligentis tunc est cha-
„ ritas perfecta, quando diligit tantum quantum potest,
„ quod quidem contingit tripliciter; uno modo sic:
„ quod totum cor hominis actualiter semper feratur in
„ Deum, & hæc est perfectio charitatis patriæ, quo non
„ est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, pro-
„ pter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare
„ de Deo, & moveri dilectione ad ipsum: alio modo,
„ ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, &
„ rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum neces-
„ sitas præsentis vitæ requirit; & ista est perfectio cha-
„ ritatis, quæ est possibilis in via, non tamen est com-
„ munis omnibus habentibus charitatem; tertio modo,
„ ita quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in
„ Deo: ita scilicet quod nihil cogitet, vel velit, quod
„ divinæ dilectioni sit contrarium; & hæc perfectio est
„ communis omnibus habentibus charitatem.

Ex horum Sanctorum authoritate constat, quod licet omnes actiones nostras actu non referamus ad Deum, in charitate tamen esse possumus, & omnia observare, ad quæ tenemur vi hujus præcepti amoris Dei, licet de ipso non semper cogitemus, modo habitu omnia ad Deum referamus; sicut docent Theologi, omnia opera hominis

justi ad Deum referri, modo nihil includant charitati contrarium.

Quæst. 5. Tenemur-ne actus amoris Dei elicere vi præcepti charitatis?

Resp. Nihil tam frequenter præcipitur, nihil tam luculenter exprimitur in utroque Testamento, quam obligatio diligendi Deum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, inquit Moyses Deuteronomii cap. 6. Et Josue c. 22. dicitur: „ Ut custodiatis attente, & opere
„ compleatis mandatum, & legem, quam præcepit vo-
„ bis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum
„ Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, &
„ observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis
„ tis in omni corde, & in omni anima vestra. *Et cap.*
„ 23. *ait:* Hoc autem diligentissime præcavete, ut dili-
„ gatis Dominum Deum vestrum.
„ Eruntque, *prosequitur Moyses Deuteron. c. 6.* ver-
„ ba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo,
„ & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens
„ in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, at-
„ que consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu
„ tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scri-
„ besque ea in limine, & ostiis domus tuæ.

Hanc ipsam obligationem Dominus noster Jesus Christus in multis Evangelii locis explicat, ut Marci c. 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine; & diligere proximum tamquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.* Et Epistola 1. Joannis c. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Sancti Patres fuse explicant hanc obligationem producendi actus amoris Dei. Et Alexander Papa VII. sequentem propositionem damnavit (*Decr. Alex. VII. adversus laxas Casuistarum opiniones 24. Sept. 1655. X. Propositio damnata*): *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quæst. 6. Quandonam tenemur elicere actus amoris Dei?

Resp. Tenemur primo, quoties tenemur elicere actum contritionis perfectæ, v. g. si in articulo mortis constituti, nullum aliud suppetat medium, ut cum Deo reconciliemur. Sicut etiam quando debemus administrare, aut suscipere Sacramentum, si nobis conscii simus alicujus peccati mortalis, & Confessoris facultatem non habeamus: quoniam contritio in se includit actum amoris Dei, juxta Concilium Tridentinum sess. 14. de Pœnit. c. 4.

Docet S. Th., omnes homines, ubi primum ad ra-

tionis usum pervenerint, teneri elicere actum amoris Dei (1. 2. q. 89. *art. 6. ad* 3.): „ Dicendum, *inquit*, „ quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens „ habere usum rationis, per aliquod tempus abstinere: „ sed a peccato omissionis prædictæ non liberatur, nisi „ quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum „ enim quod occurrit homini discretionem habenti, est „ quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad „ finem, finis enim est prior in intentione; & ideo hoc „ est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affir- „ mativo, quo Dominus dicit “: Convertimini ad me, „ & ego convertar ad vos, Zachariæ c. 1.

Verum Apostolica Sedes satis ostendit obligationem, qua tenentur omnes Christiani, eliciendi sæpius actus amoris Dei, dum Propositiones sequentes damnavit.

Quinta Propositio damnata (*Decret. Innoc. XI. contra* 65. *Propos.* 2. *Martii* 1679.): *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

Sexta Propositio: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

Septima Propositio: *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Quæst. 7. Est ne necesse ad merendum in observatione aliorum præceptorum, ut ea observemus ex principio amoris Dei, ita ut actio referatur in Deum actualiter, aut saltem virtualiter?

Resp. Ut huic quæstioni satisfaciamus, eamque recte intelligamus, supponenda sunt hic ea, quæ diximus c. 4. de Sacramentis in genere, loquendo de intentione, quam actualem esse dicimus, quando actu eam ad Deum referimus, attendendo ad ea, quæ facimus; virtualem vero dici, quando actio intentione actuali fuit ad Deum prius relata, postmodum distracta, cum non sit actualis attentio; ita tamen, ut si quis ea de re cogitaret, eam ad Deum actu referret; cum autem hæc virtualis intentio similitudinem aliquam habeat cum habituali, cum eadem sæpius a Sancto Thoma, & Sancto Bonaventura confunditur, qui nonnunquam virtualem vocant habitualem, ut facile ex eorum explicatione patet. Hoc supposito,

Sanctus Bonaventura quæstioni propositæ clare respondet, his verbis (*in* 2. *sent. dist.* 41. *q.* 3. *n.* 1. *ad* 6.): „ Notandum est tamen, quod ad hoc, quod aliqua a- „ ctio sit meritoria, non oportet, quod semper quis „ eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio „ habitualis: habitualem relationem voco, non quia „ habeat charitatem, per quam fit habitualis ad referen- „ dum: sed quod in primordio operationis illius, vel „ alterius, ad quam illa consequenter se habet, inten-

„ tionem habet ad Deum directam. Unde si quis in„ tendit dare pro Deo centum marcas, & incipit dare, „ & cogitat de Deo in prima marca, & in aliis non „ cogitat; nihilominus tamen omnes dationes illæ sunt „ ei meritoriæ, & fructuosæ. Si autem opus alterius „ generis inciperet, oportet, quod intentio renovare„ tur, ad hoc ut opus esset meritorium.

Clarius autem ostendit idem sanctus Doctor ib. n. 35. non aliud se velle per intentionem habitualem, quam quod nos virtualem vocamus, cum dicit: „ Relationem „ autem habitualem voco, non qua quis in generali re„ fert ad Deum omnia opera diei, vel anni: sed qua „ quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus se„ quens directam habet ad opus primum ordinationem, „ & consequentiam; sicut est in illo, qui dat centum „ marcas, vel intendit ire ad sanctum Jacobum: in a„ liis autem non habet locum.

Sanctus Thomas asserit, meritum omnium actionum nostrarum ex charitate proficisci; ait enim (1. 2. q. 114. *art.* 4. *in corp.*); *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.* Et paulo post ait (*Ibid. ad* 3.): *Dicendum, quod fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galatas cap.* 5. *Fides, quæ per charitatem operatur.* Authoritate ejusdem Apostoli probat sanctus Augustinus, ex charitatis motivo cætera præcepta compleri debere, dum ait (*in Enchirid. c.* 121.): *Omnia igitur præcepta divina referantur ad charitatem, de qua dicit Apostolus:* Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. *Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum: quod vero ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur; charitas quippe ista Dei, & proximi: & utique in his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ: adde Evangelium, adde & Apostolos: non enim aliunde vox ista:* Finis præcepti est charitas, & Deus charitas est. *Quæcumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est:* Non mœchaberis; *& quæcumque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est:* Bonum est homini mulierem non tangere: *tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.*

Sanctus Augustinus diserte probat, quod debemus semper agere motivo charitatis, non autem motivo timoris servilis, cum ait (*ep.* 144.): Inimicus justitiæ est, „ qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si „ ejus amore non peccet; tunc enim vero timebit pec„ care.

„ care. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.

Et paucis verbis inquit S. Gregorius (*lib. mor. c.* 20.): *In conspectu tuo justus esse non valet, qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem servit.*

Sancta Electorum Ecclesia, ait idem summus Pontifex (*l.* 1. *mor. c.* 11.) „ simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat; cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit; quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inutile potuisset.

Quæst. 8. Præceptum Charitatis obligatne ad diligendum proximum?

Resp. Obligatio diligendi proximum, consequitur necessario ex obligatione diligendi Deum: quare Scriptura fere semper hæc duo præcepta connectit, quæ quodammodo unum constituunt, quoniam non amamus proximum, nisi quia Deum amamus; & ita charitas erga proximum necessario sequitur eam, quam secundum primum & maximum legis præceptum erga Deum tenemur exercere. Unde in Epistola 1. Joannis c. 4. dicitur: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Quemadmodum, inquit S. Joannes Damascenus (*lib.* 1. *Parallelorum c.* 18.), *nec anima sine corpore, nec rursus corpus absque anima, hominis nomen obtinet; eodem modo nec charitas erga Deum, nisi charitatem erga proximum comitem habeat, charitas dicenda est; nec rursus charitas erga proximum charitatis nomen tueri potest, nisi charitas erga Deum accesserit.*

Tanti ponderis est amor erga proximum ad observationem præceptorum, ut Apostolus dicat (*Ad Rom. c.* 13.): *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, Non adulterabis, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et in alio loco (*Ad Gal. c.* 5.): *Omnis enim lex uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Venerabilis Beda, post S. Augustinum, rationem affert, quare Divus Paulus hoc in loco loquatur tantum de amore proximi, & hoc uno præcepto totam legem contineri doceat (*Beda in Epist. ad Rom. c.* 1. *ex Aug.*): „ Cur, *inquit*, Apostolus solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia dilectionem Dei possunt homines mentiri, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt? Con-

„ sequens

„ sequens est autem, ut qui ex toto corde, & ex tota „ anima, & ex tota mente Deum diligit, diligat & pro„ ximum tanquam seipsum, quia hoc jubet ille, quem „ ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente „ diligit. Item diligere proximum, id est, omnem ho„ minem tanquam seipsum, quis potest, nisi Deum di„ ligat, cujus præcepto & dono dilectionem proximi „ possit implere? Cum ergo præceptum utrumque sit, „ ut nullum sine altero possit teneri, etiam unum ho„ rum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de „ operibus justitiæ: sed opportunius illud, de quo faci„ lius quisque convincitur.

Quæst. 9. Ad quid nos obligat Charitas erga proximum?

Resp. Explicat S. Augustinus, dum ait (*ep.* 11. *de vera felicitate.*): „ Cum ergo illa dilectione, quam „ divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, & „ seipsum, & proximum; non tamen ex hoc tria præ„ cepta data sunt; nec dictum est, in his tribus, sed, „ in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ, „ id est, in dilectione Dei ex toto corde, ex tota ani„ ma, & ex tota mente, & proximi tamquam sui ip„ sius; videlicet ut intelligeretur, nullam esse aliam „ dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod „ diligit Deum: qui enim aliter se diligit, potius se o„ disse dicendus est: fit quippe iniquus, privaturque lu„ ce justitiæ, qui a potiore ac præstantiore bono aver„ sus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferio„ ra & egena utique convertitur; fitque in ipso, quod „ veracissime scriptum est: *Qui autem amat iniquita„ tem, odit animam suam.* Quia igitur nemo nisi Deum „ diligendo, diligit seipsum, non opus erat, ut dato „ de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo di„ ligere juberetur, cum in eo diligat seipsum, quod dili„ git Deum. Debet ergo & proximum diligere tamquam „ seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ „ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel discipli„ næ coercitione, adducat ad colendum Deum.

Observandum tamen est, quod externa subsidia, quæ proximo præstamus, minime sufficiunt ad exercendam charitatem, quæ nobis a Deo præcipitur, nisi proximum ex animo diligamus, secus enim omnia testimonia charitatis, minime vera sunt, & speciem tantum exteriorem charitatis habent, quam interius habere tenemur: adeo ut proprie loquendo, quidquid erga proximum præstamus, sit veluti appendix amoris intimi, quem erga ipsum gerimus. Quæ quidem doctrina eo magis est vera, quo contrariæ opiniones a Sancta Sede damnatæ sunt, dum sequentes propositiones damnavit.

X. Propositio damnata (*Decretum Innoc. XI. in quo damnantur 66. propos. 2. Martii 1679.*): *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

XI. Propositio: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Quæst. 10. Tenentur-ne omnes homines ex præcepto charitatis æqualiter subvenire necessitatibus, tum spiritualibus, tum corporalibus proximi?

Resp. Quamvis nemo possit se eximere ab hoc præcepto servando, quod tam frequenter in veteri & novo Testamento indicitur; certum tamen est, omnes homines æqualiter non obligari, ut inferius explicabimus; *Non potuit*, ait S. Augustinus (*lib.* 23. *q.* 7.), *apertius significari, novi Testamenti donum esse charitatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit:* Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Hanc enim Christi legem dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcipit, ut nos invicem diligamus. Hujus autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare.* Per onera Scriptura & Sancti Patres intelligunt necessitates tam spirituales, quam corporales proximi, seu res quibus indiget, quas ipsi tenemur præstare secundum vires, & facultates nostras, aut secundum majorem ejus indigentiam, aut secundum officii nostri rationem, aut denique secundum quod magis cum aliquo conjuncti sumus.

Quæst. 11. Quisnam observandus est ordo in charitate?

Resp. Observandus utique est aliquis ordo in charitate, juxta id, quod dicit Sponsa Canticorum c. 2. *Ordinavit in me charitatem*. Et ut ait S. Augustinus (*l.* 7. *de Doctr. Christ. c.* 27.): „ Ille juste, & sancte vivit, „ qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem, qui „ ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod „ non est diligendum, aut non diligat, quod est dili„ gendum, aut amplius diligat, quod minus est dili„ gendum, aut æque diligat quod vel minus vel am„ plius diligendum est, aut minus vel amplius, quod æ„ que diligendum est. Omnis peccator, in quantum pec„ cator est, non est diligendus: & omnis homo, in „ quantum homo est, diligendus est propter Deum, „ Deus vero propter seipsum. Et si Deus omni homine „ amplius diligendus est, amplius quisque debet eum „ diligere, quam seipsum. Item amplius alius homo di„ ligendus est, quam corpus nostrum, quia propter Deum „ omnia ista diligenda sunt: & potest nobiscum alius ho„ mo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus „ per animam vivit, qua fruimus Deo.

„ Omnes autem homines æque diligendi sunt. Sed „ cum omnibus prodesse non possit, his potissimum con„ sulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel „ quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi „ quasi quadam sorte junguntur.

Sequitur igitur ex hac sancti Augustini doctrina, quod primitus, & præ omnibus diligendus nobis sit Deus. Secundo diligere debemus nosmetipsos quoad bona spiritualia. Tertio proximum quoad eadem spiritualia

lia bona. Quarto nos ipsos quoad bona corporalia, deinde proximum circa eadem bona. Denique debemus nosmetipsos diligere quoad bona externa, deinde proximum. Ita etiam explicat S. Thomas 2. 2. qu. 20.

Quæst. 12. Ad quid nos obligat præceptum Charitatis erga inimicos nostros?

Resp. Ut nihil omittamus, ut eos per reconciliationem nobiscum ad Deum ducamus. „ Ne pigri sitis diligere „ inimicos, *inquit S. Augustinus* (*Exposit. in ep. B.* „ *Joan. tr.* 8.); sævit in te homo, ille sævit, tu de„ precare, ille odit, tu miserere: febris animæ ipsius „ te odit, sanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo „ medici diligunt ægrotos? numquid ægrotos diligunt? „ si ægrotos diligunt, volunt, ut semper ægrotent? ad „ hoc diligunt ægrotos, ne ægroti permaneant, sed ut „ ex ægrotis sani fiant: & quanta plerumque patiuntur „ a phreneticis, quales contumelias verborum? plerum„ que & percutiuntur: persequitur ille febrem, ignoscit „ homini: & quid dicam, fratres? amat inimicum suum, „ imo odit inimicum suum morbum: ipsum enim odit, „ & amat hominem, a quo percutitur, odit febrem. A „ quo enim percutitur? a morbo, ab ægrotatione, a fe„ bre; illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat il„ lud, unde gratuletur. Sic & tu, si odit te inimicus „ tuus, & injuste odit: noveris, quia cupiditas sæculi in „ illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum, & tu „ contra reddis malum pro malo; unum ægrotum fle„ bam, qui te oderat, jam duos plango, & tu odisti. „ Sed persequitur rem tuam, tollit tibi nescio quæ habes „ in terra. Ideo illum odisti, quia angustias tibi facit „ in terra: noli pati angustias, migra in cælum, sursum „ cor tibi habebis, ubi latitudo est, ut nullas angustias „ patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi tollit, „ nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret, qui *flagellat* „ *omnem filium quem recipit*, quodammodo ferramen„ tum Dei est, quo saneris, ipse inimicus tuus. Si novit „ Deus utile tibi esse, ut expoliet te, permittit illum: „ si novit tibi utile esse, ut vapules, permittit ille, ut „ cædaris: de illo te curat, opta, ut ille sanetur.

Sanitatem illi procurare nitere ferendo injurias ab eo illatas, ea patientia, quæ non minus tibi, quam inimico futura est salutaris: nihil adeo ipsum devinciet, quam humilis tua patientia: tunc enim propria stimulante conscientia, reum se sentiet, se ipsum sæpius condemnabit; ex hac salutari confusione, ejus quem persecutus est ut inimicum, quæret amicitiam.

Hic agendi modus omnino Christianus, & Evangelii præceptis plane conformis, ita nobis utilis est, ut, dum nostro fungimur officio, inimicos etiam nostros Deo conciliemus, eosque etiam habituri simus amicos: sed & tenemur ordinaria benevolentiæ, & vitæ civilis indicia inimicis exhibere: quod utique observare debemus; quia

multi credunt, se teneri tantum, in intimo cordis affectu inimicis parcere, & parati esse illis obsequium, ubi necessitas occurrit, præstare; non autem teneri occasione data significare, nullum se erga ipsos odium gerere, sed sinceram erga ipsos charitatem servare.

S. Bernardinus Senensis ait (*ser. 24. in fer. 3. post Dom. in Quadr. cap. 1.*) *Quæritur, an omnes teneantur ad signa dilectionis inimicis exhibenda? & videtur quod sic, quia Christus Matth. 5. ait;* Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? *ubi velle videtur, quod hoc non sufficit ad salutem, Ad quod dicendum, quod est aliquod signum, sine quo non potest exterius innotescere actus dilectionis, etiam illius, ad quam omnes tenemur: quia in ejus omnimoda negatione prætenditur signum iræ, seu odii cordialis. Hujusmodi autem signum videtur salutatio, aut ad aliqua interrogata aliqualis responsio; unde qui omnino inimico suo negaret verbum, aut qui in ejus præsentia semper avertit faciem, vel subito fugit, signum ostendit odii cordialis atque mortalis, nisi ex causa valde rationabili hoc agat, aut probabiliter timeat ex hoc aliquid pejus accedere: quamquam etiam rationem, & intentionem facti sui debeat intuentibus, propter vitationem scandali, propalare, si bono modo id facere potest.*

Denique si serio vim verborum Christi Domini, quibus jubemur inimicos diligere, velimus considerare, facile videbimus, nos non modo vere teneri inimicos diligere, & iis opem in rebus necessariis præstare: verum etiam ordinaria vitæ civilis officia illis exhibere, quantum possumus, & quantum id conducit, ut cum iis reconciliemur, eosque impediamus, ne in odio suo erga nos perseverent. Dicit enim Dominus (*Matt. c. 5.*): *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Verum-ne hæc externa, & apparentia officia, quæ inimicis exhibemus, facile nos persuadeant, eos sincero cordis affectu a nobis diligi, S. Gregorius nonnulla erga inimicos charitatis signa nobis aperit, quibus dignoscere possimus, an eos vera charitate complectamur (*moral. l. 22. c. 6.*): „ Sciendum est, *inquit*, quia inimici dilectio „ tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu affligi„ mur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dile„ ctionis imagine erga inimicum animus fallitur, sæpe „ hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. „ Sed dilectionis vim occulte & veraciter, aut profectus „ inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad ple„ num semetipsum mens hominis nescit, nisi eum quem „ sibi adversarium credit, in defectu, vel profectu mu„ tasse modum sui status invenerit. Si enim de prospe„ ritate afficitur, & de calamitate se odientis lætatur; „ constat, quia non amat, quem non vult esse melio-

„ rem,

„ rem, eumque etiam ftantem voto profequitur, quem
„ cecidiffe gratulatur.

Quæft. 13. Numquid dici poffet, a nobis impleri charitatis præceptum erga inimicos, dummodo eos odio non habeamus, eofque amare effe folummodo confilium?

Refp. S. Auguftinus, & S. Hieronymus oftendunt, nos teneri pofitive amare inimicos, eifque in eorum neceffitatibus fubvenire. *Nullum autem*, inquit S. Auguftinus (*de Doctrin. Chrift. l.* 1. *c.* 30.), *exceptum effe, cui mifericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando ufque ad inimicos etiam porrectum eft, eodem domino dicente:* Diligite inimicos veftros, benefacite his qui oderunt vos. *Ita quoque Apoftolus Paulus docet, cum dicit:* Nam, non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupifces, & fi quod eft aliud mandatum, in hoc fermone recapitulatur; Diliges proximum tuum tamquam teipfum. Dilectio proximi malum non operatur. *Quifquis ergo arbitratur, non de omni homine Apoftolum præcepiffe, cogetur fateri, quod abfurdiffimum, & fceleratiffimum eft, vifum fuiffe Apoftolo, non effe peccatum: fi quis aut non Chriftiani, aut inimici adulteraverit uxorem, aut eum occiderit, aut ejus rem cupierit.*

S. Hieronymus validius hanc de diligendis inimicis ftatuit veritatem, dum ait (*Comment. in Matth. lib.* 1. *c.*5. *in fine.*): „ Multi præcepta Dei imbecillitate fua, non
„ Sanctorum viribus æftimantes, putant effe impoffibi-
„ lia, quæ præcepta funt, & dicunt fufficere virtutibus
„ non odiffe inimicos: cæterum diligere, plus præcipi,
„ quam humana natura patiatur. Sciendum eft ergo,
„ Chriftum non impoffibilia præcipere, fed perfecta, quæ
„ fecit David in Saul & in Abfalon. Stephanus quoque
„ martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eft. Et
„ Paulus anathema cupit effe pro perfecutoribus fuis.
„ Hæc autem Jefus & docuit, & fecit, dicens: " Pater ignofce illis, quod enim faciunt, nefciunt.

Quæft. 14 Quinam funt actus charitatis erga proximum?

Refp. Quoniam indigentia proximi, vel corporalis, vel fpiritualis effe poteft, ei tum fpiritualiter, tum corporaliter opem ferre tenemur. Sanctus Auguftinus omnia charitatis opera erga proximum exercenda proponit, eaque fub generali Eleemofynæ nomine complectitur, cum ait: (*S. Aug. Enchir. c.* 72. *tom.* 3.): „ Non folum autem
„ qui dat efurienti cibum, fitienti potum, nudo vefti-
„ mentum, peregrinanti hofpitium, fugienti latibulum,
„ ægro vel incluſo vifitationem, captivo redemptionem,
„ debili fubvectionem, cæco deductionem, trifti confola-
„ tionem, non fano medicinam, erranti viam, deliberan-
„ ti confilium, & quod cuique neceffarium eft indigenti;
„ verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemofynam
„ dat, & qui emendat verbere, in quem poteftas da-
„ tur, vel coercet aliqua difciplina, & tamen peccatum

„ ejus, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex „ corde, vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo „ quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod „ corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemo„ synam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim „ bona præstantur invitis, quando eorum consulitur uti„ litati, quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici; amici „ vero eorum potius illi quos inimicos putant, & red„ dunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Chri„ stianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt ge„ nera eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur, „ ut dimittantur nobis nostra peccata.

Secundum S. Thomam (1. 2. *q.* 32. art. 2. *Matt. c.* 25.): „ Ponuntur septem eleemosynæ corporales, scili„ cet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nu„ dum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redi„ mere captivum, sepelire mortuum.

„ Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

„ Ponuntur etiam septem eleemosynæ spirituales, sci„ licet docere ignorantem, consulere dubitanti, consola„ ri tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, „ portare onerosos & graves, & pro omnibus orare.

„ Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Non est necesse, hic agere in particulari de omnibus his charitatis actibus, tum spiritualibus, tum corporalibus. Sequemur ordinem Doctoris Angelici, qui solum agit de eleemosyna, & de fraterna correptione.

Quæst. 15. Tenemur-ne ex præcepto largiri eleemosynam, cùm suppetit facultas?

Resp. Constans veritas est in utroque Testamento, & in Sanctorum Patrum doctrina, extare præceptum largiendi eleemosynam; Deuteronomii cap. 15. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Ezechielis cap. 15. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ . . . . manum egeno & pauperi non porrigebant.* Verum quid clarius dici potest, ut ostendatur, eleemosynam esse præceptam, quam ipsius Jesu Christi Domini nostri sententia, proferenda in die judicii contra eos, qui eleemosynam non fecerint (*Matt. c.* 25.)? *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Unde S. Paulus scribens ad Timotheum, ait (1. *cap.* 6.): *Divitibus hujus sæculi præcipe . . . . facile tribuere.* Enimvero ut ait S. Joannes (1. *Joan. c.* 3.); *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Sancti quoque Patres hoc eleemosynæ præceptum tanta vehementia statuunt, ut mirum sit, cupiditatem usque

adeo

adeo plures excæcasse, ut de ejus dubitent obligatione. S. Basilius ait: (*hom. in Lucæ verba.*) *Quem tandem injuria afficio, dum quæ mea sunt premo, ac retineo? Quænam autem quæso tua sunt? An non nudus e materno utero excidisti? an non rursum nudus in terram reverteris? Quæ autem nunc habes, unde tibi contigerunt? Si a fortuna dixeris, impius es, ut qui Creatorem non agnoscas; nec ei, a quo ea accepisti, gratiam ullam habeas. Si autem a Deo ea te habere confiteris, affer jam causam, quamobrem acceperis. Num iniquus est Deus, qui ea, quæ ad degendam vitam attinent, nobis haud æque distribuit? Ecquid est, cur tu opibus abundes, ille contra egeat? an non omnino ut & tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem referas, & ille ingentibus patientiæ præmiis ornetur? Siccine vero cum tu vastissimo atque inexplebili avaritiæ tuæ sinu omnia coerceas, nemini te injuriam inferre censes, tot homines eorum usu spolians? Quis est avarus? an non is qui eo quod satis est, non acquiescit? Quis spoliator? an non is qui sua cuique eripit? Tune igitur avarus, & spoliator non es, qui ea, quæ administrationis causa suscepisti, tua ducis? Si quis homini vestem detrahit, citra controversiam fur est; qui nudum non induit, cum id facere possit, alio nomine appellari debet? famelici est panis ille, quem retines; nudi vestimentum, quod in arcis asservas; ejus qui calceis caret, calcei illi qui apud te corrumpuntur; egentis illud aurum, quod humi defossum habes. Ac proinde tot homines injuria afficis, quot sunt, quibus præbere poteras.*

Eadem soliditate præceptum eleemosynæ stabilit atque confirmat S. Ambrosius relatus in Canone, dum ait (*Can. Sicut* 11. *dist.* 47.): *Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possit, & abundet, indigentibus denegare.*

S. Gregorius Nazianzenus, Oratione de amore pauperum, ait, „ An tu dignitatem, seu beneficentiam in „ pauperes non necessariam, sed tibi liberam esse pu„ tas, ac non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse „ magnopere vellem & existimarem, sed me sinistra „ illa manus terret, & hædi, & probra quæ ab eo, a „ quo illic sunt collati, conjiciuntur: non quia templa „ diripuerunt, aut adulteria perpetrarunt, aut aliud „ quidpiam ex rebus vetitis admiserunt, sunt ad hœdo„ rum ordinem ablegati, & cum iis mulctati; sed quia „ Christum in pauperibus, seu per pauperes, minime „ curaverunt “.

Idem afferunt sanctus Chrysostomus, sanctus Augustinus, & sanctus Hieronymus, eorumque hac de re sententias inferius referemus, n. 16.

Quæst. 16. Quonam tempore, quave occasione, præceptum eleemosynæ obligat sub pœna peccati?

Resp. Ex S. Thoma (2. 2. q. 118. *art.* 4. *ad* 2.): „ Aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus

„ ero-

„ erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam „ propter superfluitatem habituum“. Et in alio loco ait (2. 2. q. 52. art. 5. ad 3.): „ Dicendum, quod est „ aliquod tempus dare in quo mortaliter peccat; si elee- „ mosynam dare omittat ex parte quidem recipientis, „ cum apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet „ in promptu, qui ei subveniat; ex parte vero dantis, „ cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem „ non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari „ potest: nec oportet quod consideres omnes casus, qui „ possunt contingere in infinitum: hoc enim esset de „ crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. „ sed debet dijudicari superfluum & necessarium secun- „ dum ea quæ probabiliter, ut in pluribus, occurrunt“.

Sanctus quoque Gregorius ostendit, divites teneri opem præstare pauperibus in urgenti necessitate constitutis, cum ait (*past. p. 3. c. 22.*): *Cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimus: justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus. Unde &c. ipsa Veritas, cum de misericordia caute exhibenda loqueretur, ait:* Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. *Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens dicit:* Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. *Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit: quia quod a communi Domino tribuitur, justum profecto est ut, qui accipiunt, eo communiter utantur.*

Quantum ad bona superflua, de quibus pauperibus dare tenemur; S. Hieronymus relatus in Canone, ait (*Can. 1. dist. 42.*): *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur.* Et S. Augustinus dicit (*in Ps. 147.*): *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. Quemadmodum regalis ærarii custos*, ait S. Joannes Chrysostomus (*serm. 2. de Lazaro*), *si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus est jussus distribuere, impertiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates, & delicias, plectitur & exauctoratur; ita vir dives sese gerere debet ad instar quæstoris cujuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissime plectendum esse noverit: non enim ejus sunt quæ possidet, sed conservorum quos egestas afflixerit. Parcamus igitur nostris operibus, ut alienis, ut fiant nostræ. Quomodo autem illis parcemus tanquam alienis? si illas non in usus supervacuos insumpserimus, sed pauperum manibus impertiverimus.*

Constans itaque Patrum sententia est, divites teneri superflua sua pauperibus erogare, iisque etiam de necessariis subvenire, cum urgenti necessitate premuntur:

tur: superest igitur explicanda difficultas, quam sequentibus quæstionibus resolvemus, quid superflui nomine intelligatur, & quæ sit ea necessitas, quæ nos obligat ad subveniendum egenis, etiam ex quodammodo necessariis.

Quæst. 17. Quid intelligitur per superfluum, cujus divites sunt meri dispensatores?

Resp. Quod Sancti Patres intelligunt per superfluum, ostendit, quam merito scripserit Cardinalis Cajetanus (*Cap. 6. de Eleemos.*): *Quod si mihi illud objeceris, quod scilicet divitum confessiones audiri non possent, & Confessores damnationem incurrerent, audi Dominus Jesum Christum in Evangelio divitibus dicentem*, Facilius est, camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum: *Confessoribus autem*: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Enimvero sanctus Augustinus in Psalm. 147. ait: *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus; nam si inania quæramus nil... sufficit, fratres: quærit quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ: cupiditas vestra non est opus Dei.*

Et Venerabilis Beda, explicans hæc verba Divi Lucæ (*lib. 4. cap. 51. in Lucæ cap. 1.*): *Quod superest, date eleemosynam*, ait: *Quod necessario victui ac vestimento superest, date pauperibus: neque enim ita facienda est eleemosyna, ut te ipsum consumas inopia: sed ut tui cura corporis expleta, inopem, quantum vales, sustentes.*

Quæ quidem satis ostendunt, secundum Sanctos Patres, quod ut sciamus, an aliquid nobis superflui sit, quod pauperibus erogari debeat, non avaritia, non ambitio, non cupiditas humana consulenda est; sed videndum, quod necessarium sit, ut vivamus secundum præscriptas modestiæ, & simplicitatis Christianæ regulas, in eo statu, & conditione in qua divina nos constituit providentia. Cavendum porro est, ne quis hac in occasione cæcutiat, neve ambitio prohibeat, ne superfluum quid reperiatur, ubi magna rerum adest copia; quoniam quidem multos videmus, qui tenentur superflua sua pauperibus erogare; paucissimos vero, qui hoc faciant, ut par est, præsertim inter mundanos, seu eos qui amant hoc sæculum. Denique Sancta Sedes sequentem propositionem damnavit.

12. Propositio damnata (*Decretum Innoc. XI. contra 66. proposit.*).

Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Sanctus Thomas explicat, quid sit illud superfluum, quod implendum est egenis, cum ait: „ Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non „ indiget, neque ad sustentationem vitæ suæ, & suorum, „ ne-

„ neque ad decentem ſtatus ſui conſervationem ; & ſi „ pauperes extremæ neceſſitatis non compareant ; neque „ oportet occaſionem futuræ neceſſitatis prætendere ultra „ probabilia ſigna futuræ neceſſitatis, quia hæc eſt ſuper- „ flua ſollicitudo, quam Dominus prohibet, Matth. 6. „ Nolite ſolliciti eſſe, &c. "

Quare certum eſt, nos teneri eleemoſynas erogare ex eo, quod ſuperfluum eſt noſtro ſtatui; quoniam quidem certum eſt tum experientia quotidiana, tum verbo Dei, ſemper pauperes fore nobiſcum, ut ait Chriſtus Dominus, Matth. 26. qui communibus & ordinariis neceſſitatibus erunt obnoxii, in quibus de ſuperfluo ſemper eis opem ferre tenemur.

Quæſt. 18. Quænam illa neceſſitas eſt, qua tenemur pauperibus ſubvenire, etiam ex quodammodo neceſſario ſtatui?

Reſp. S. Thomas multis in locis explicat, quæ ſit hæc neceſſitas, præſertim vero dum ait (*in* 4. *diſt.*15. *q.*2. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 4.) „ Dicendum, quod tempus, ad quod obligat „ præceptum de eleemoſynis faciendis, accipitur ex par- „ te accipientis, & ex parte dantis: ex parte accipientis, „ quando apparent ſigna probabilia extremæ neceſſitatis „ futuræ, niſi ei ſubveniatur, ut cum aliquis videt alios „ impotentes, vel pigros ad ſubveniendum, & pauperem „ indigere cibo, & potu, & aliis vitæ neceſſariis, nec „ ſibi ſatisfacere poſſe: non enim expectanda eſt ultima „ neceſſitas; quia tunc forte non poſſet juvari natura jam „ fame vel ſiti conſumpta: dicit enim Chryſoſt. ſuper „ Joan. Homil. 76. Non oportet, pauperum ululantem „ deceptorem vocare: quid dicis, o homo? propter unum „ panem deceptionem quis complicat? quid-ni dicis? „ Quocirca maxime miſericordiam conſequatur, & ma- „ xime neceſſitati eripiatur ". Idemque Doctor Angelicus, alio in loco, ubi duplicem diſtinguit neceſſitatem, aliam quam vocat abſolutam, quando ſcilicet deſunt neceſſaria ad proprium victum & veſtitum, tum ſui, tum familiæ; aliam vero conditionatam, quando nimirum quis indiget aliquo ad honeſte vivendum ſecundum ſuam conditionem, ait: *Præceptum legis obligat, quod etiam neceſſitati extraneorum abſolutæ primo ſubveniatur, quam neceſſitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ.* Hoc eſt, ſecundum ſanctum Thomam, eleemoſynam erogare tenemur de his quæ quodammodo neceſſaria ſunt ad vivendum cum decore in propria conditione, quoties neceſſitates publicæ vel privatæ legitimam præbent occaſionem credendi, pauperibus res victui neceſſarias defuturas, ita ut nemo ipſis ſubveniat in hac extrema neceſſitate.

Quæſt. 19. Uxor poteſt ne largiri eleemoſynam ſine conſenſu viri?

Reſp. Ex S. Thoma: (2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 2.) „ Dicendum, quod ſi uxor habet alia præter dotem, „ quæ

„ quæ ordinatur ad sustentandum onera Matrimonii, „ vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito mo- „ do, potest dare eleemosynas, etiam irrequisito assen- „ su viri; moderatas tamen, ut de earum superfluitate „ vir depauperetur: alias autem non debet dare eleemo- „ synas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, „ nisi in articulo necessitatis „. Consensus iste præsum- ptus occurrere potest, cum dantur res parvi momenti, ita ut præsumi posset, quod illud non displiceret marito, si illud sciret. Videtur etiam dicendum ex hac sancti Thomæ doctrina, posse uxorem erogare eleemosynam, cum administrat bona familiæ, quia vir non potest, aut non vult ei vacare: V. G. cum diu a propria domo abest, si amens evadat, aut alio modo fiat incapax curam agendi rerum domesticarum; quo casu cum rerum administratio penes uxorem sit, libere potest eleemosynam facere, secundum quantitatem bonorum sibi & marito communium. Si maritus etiam singulis annis certam summam uxori concedat, qua utatur ad vestes suæ conditioni convenientes, aliasque res quibus indiget comparandas, videtur, inquam, quod uxor zelo charitatis accensa, possit ex hac summa determinata detrahere quidquid sibi libuerit, ut in eleemosynam eroget.

Sanctus Antoninus etiam sic ait: (*p.* 3. *Summæ tit.* 1. *c.* 24. §. 1.) *Dominium rerum dotalium est penes virum; unde contra voluntatem viri mulier non potest eleemosynam facere.*

Quæst. 20. **Qua ratione fieri debet fraterna correctio?**

Resp. Ecclesiæ Patres docent, fraternam correctionem cum charitate & humilitate fieri debere, ut fructum aliquem consequatur: „ Nunquam, *inquit sanctus Augustinus* (*in exposit. Epist. ad Galatas*, *c.* 6. *tom.* 4.), „ alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, „ nisi cum internis interrogationibus examinantes no- „ stram conscientiam, liquido nobis coram Deo respon- „ derimus, dilectione nos facere. Quod si convicium, „ vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem argue- „ ris, laceraverint animum; si adhuc ille per te sanari „ posse videbitur, nihil respondeas, donec saneris prior, „ ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum con- „ sentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis „ peccato, ad reddendum malum pro malo, aut male- „ dictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato ani- „ mo dixerit, punientis est impetus, non charitas cor- „ rigentis. Dilige, & dic quod voles; nullo modo ma- „ ledictum erit, quod specie maledicti sonuerit; si „ memineris, senserisque, te in gladio verbi Dei libe- „ ratorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod „ si forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem ta- „ lem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis „ accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi

„ resi-

„ resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutien-
„ do, & ipsi homini faciat infestum; postea te lacrymis
„ lavantem hujusmodi pulverem multo salubrius memi-
„ nisse oportebit, quam non debeamus super aliorum su-
„ perbire peccata, quando & ipsa eorum objurgatione
„ peccamus; cum facilius nos ira peccantis iratos, quam
„ miseria misericordes facit ". Alter alterius onera por-
tate, & sic adimplebis legem usque charitatis.

S. Gregorius magnus, post sanctum Augustinum, docet, humilitatem, & propriæ infirmitatis agnitionem esse necessariam ad fratres & alios cum fructu corrigendos (*Mor. lib. 23. c. 8. in 33. c. Job.*): „ Nos enim, *inquit*, quia in-
„ firmi homines sumus, cum de Deo hominibus, loqui-
„ mur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex
„ propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine in-
„ firmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia
„ aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus, aut ta-
„ les aliquando fuimus; & si jam divina gratia operante
„ non sumus, ut tanto temperatius humili corde corri-
„ gamus, quanto nosmetipsos verius in his, quos emen-
„ damus, agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec
„ fuimus, quales adhuc illi quos emendare curamus; ne
„ cor nostrum forte superbiat, & de ipsa innocentia in
„ pejus ruat: quorum mala corrigimus, alia ipsorum bo-
„ na nobis ante oculos revocemus; quæ si omnino nulla
„ sunt, ad occulta Dei judicia recurramus; quia sicut
„ nos meritis nullis hoc ipsum quod habemus accipimus,
„ ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infunde-
„ re, ut excitati posterius etiam ipsa possint bona, quæ
„ nos ante recipimus, provenire. Quis enim crederet,
„ quod per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Ste-
„ phanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidan-
„ tium vestimenta servabat? His ergo primum cogitatio-
„ nibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquen-
„ tium iniquitas increpari.

Tertium autem, quod, secundum S. Bernardum, in correctione fraterna occurrit observandum, est Deum enixe pro ipso prius orare, quam corrigere volumus (*tom. 2. de perf. vitæ spiritualis tit. ult.*): „ Quia, *inquit*, frater-
„ na correctio non habet locum, ubi non speratur emen-
„ datio; & frustra venit sonus ad aures, nisi Deus in cor-
„ de loquatur; quia solus Deus convertit corda filiorum
„ hominum; fraterna correctio debet fieri cum magno
„ moderamine, cum gemitu & benevolentia, suo loco,
„ suo tempore, semper oratione præcedente.

Prudenter etiam monet S. Franciscus Xaverius (*Epistolar. S. Franc. Xaverii lib. 4 Epis. a Prosino versa*)
„ quod semper censuræ supercilium, frontis serenitate, ar-
„ risu oris, blanditio obtutum mitigari debet: multo au-
„ tem magis humanitate verborum, & declaratione amoris,
„ qui te unus ad molestum, sed necessarium, eximendæ
„ ab amico deformantis illum labis, conatum impellat.

„ Inferendi quin etiam colloquio amplexus, demissæ venerationes, cæteraque benevolentiæ sinceræ, reverentiæ non fucatæ signa idonea; quorum vel, ut mellis, aut sesami admixtione, amarities condiatur nauseosi per se se remedii, & si merum respuentibus obtrudatur, insalubris evasuri. Nam si ad odium tristi negotio innatum, asperitatem vocis, austeritatem vultus, frontis ac rigidi aspectus minas adjunxeris, vereor equidem, ut stomacho imperent delicati fastidii, & tenerarum homines aurium, quos assuetos adulationibus, verisimile potius est, excussuros frœnum omne moderationis, & censorem importunum convicio repulsuros.

Quæst. 21. Quandonam præceptum fraternæ correctionis obligat?

Resp. Sanctus Thomas sic respondet (2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *in corp.*): „ Correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem; & ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem; non autem ita quod quolibet tempore & loco frater delinquens corrigatur “. Tum explicat sanctus Thomas, quando quis tenetur correctionem fraternam adhibere, quando „ peccat venialiter eam omittendo; & quando demum mortaliter; omnesque hos casus authoritate sancti Augustini ita definit (*Ib. in resp. ad* 3.): „ Dicendum, quod correctio fraterna tripliciter omitti potest; uno quidem modo meritorie, quando ex charitate aliquis correctionem omittit; dicit enim Aug. in 1. lib. de Civitate Dei cap. 4. Si propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos, & premant, atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali: quando scilicet formidatur, ut ibi dicitur, judicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio, dum tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ charitati præponantur; & hoc videtur contingere, quando aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente, quod posset eum a peccato retrahere, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit. Tertio modo hujusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corripienda delicta fratris; non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem omitteret: quibus in animo suo charitatem præponit fraternam. Ex hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.

Quæst. 22. Tenemur-ne corrigere fratrem nostrum, cum credimus, correctionem ipsi gratam non fore: imo vero eum nobis molestum fore, & iratum?

Resp. Videtur Divus Paulus nobis indicare, quod teneamur, cum ait (*ad Tim.* 2. *c.* 4.): *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

Verum sanctus Augustinus explicans hæc verba Apostoli, insinuat, quid tunc sit nobis agendum, & quæ in tali occasione incumbat obligatio, cum ait (*in exposit. c.* 6. *ad Gal.*): „ Insta opportune, quod si hoc modo non proficis, importune; ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omnino non deseras: & si accipias quod dictum est, importune, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum; tu tamen scias hoc illi esse opportunum, & dilectionem curamque sanitatis ejus animo teneas mansueto, & modesto, & fraterno. Multi enim postea cogitantes quæ audierint, & quam juste audierint, ipsi se gravius, & severius arguerunt; & quamvis perturbatiores a medico viderentur abscedere, paulatim, verbi vigore in medullis penetrante, sanati sunt ".

Quæst. 23. Tenentur-ne omnes homines, vel sub præcepto fraternam adhibere correctionem?

Resp. Sic respondet S. Thomas (2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *ad* 1.): „ Dicendum, quod in correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior est cura Prælatorum, ut dicit Aug. in 1. de Civitate Dei. Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet: ita etiam beneficia spiritualia, puta correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi, magis debet exhibere illis, qui sunt suæ spirituali curæ commissi; non ergo intendit Hieronymus dicere, quod ad solos sacerdotes pertineat præceptum de correctione fraterna, sed quod ad hos specialiter pertinet ". Unde etiam dicitur in Canone (*Tam Sacerdotes* 24. *q.* 3.): *Tam sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de iis qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles appareant, ab Ecclesia separentur.* Et ita non solum ex hoc Canone constat, præceptum correctionis fraternæ ad omnes pertinere; verum etiam Ecclesiastici c. 17. dicitur: *Mandavit unicuique de proximo suo.*

Quæst. 24. Debet-ne quis semper ab aliis corripiendis abstinere, propter timorem, ne deteriores fiant?

Resp. Huic quæstioni ita respondet S. Thomas (1. 2. *q.* 33. *art.* 6. *in corp.*): „ Dicendum, quod sicut dictum est, duplex est correctio delinquentis, una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam: & talis correctio non est dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur, tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat; tum etiam quia si incorrigibilis sit per hoc providetur bono

„ communi, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur; unde judex non prætermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem, propter timorem turbationis ipsius, vel amicorum ejus. Alia vero est correctio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem; & ideo ubi probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum; quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.

Quare Prælati, seu Episcopi, & Curati, suas oves corripere sæpius debent, licet jure possint existimare, talem correctionem ipsis ad emendationem non profuturam; modo earum punitio publicæ utilitati possit inservire, aut gregis sibi commissi ædificationem promovere.

Quæst. 25. Quomodo fieri debet fraterna correctio circa peccata occulta?

Resp. Dicendum, ait Angelicus Doctor (*2. 2. q.* 33. *art.* 8. *ad* 1.) „ quod post admonitionem secretam semel vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est. Ex quo autem probabiliter jam cognoscere possumus, quod secreta admonitio non valet, procedendum est ulterius (quantumcumque sit peccatum occultum) ad testium inductionem: nisi forte probabiliter æstimaretur, quod ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur: quia propter hoc totaliter a correctione cessandum est.

Verum quia non pauci plerumque timent, ne violent charitatem proximi, si ejus culpam superiori aperiant, aut alii, qui potest illum salubriter corripere, Sanctus Augustinus sic ait (*ep.* 109. *de Regula Monac. tom.* 2.): „ Nec vos judicetis esse malevolas, quando hoc indicatis; magis quippe innocentes non estis, si sorores vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari; nonne crudeliter a te sileretur, & misericorditer indicaretur? quanto ergo potius eam debes manifestare, ne deterius putrescat in corde“?

„ Corripiendus, *inquit S. Hieronymus* (*l.* 3. *comment. in Matth. c.* 18.), frater seorsum, ne si semel pudorem amiserit, remaneat in peccato; & si quidem audierit, lucrifacimus animam ejus, & per alterius salutem nobis quoque salus acquiritur. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater: quod si nec illum audierit, adhibeatur & tertius, vel corrigendi studio, vel conveniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant, & qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis“. Et ita patet, quanta cum prudentia

„ fra-

„ fraterna correctio fieri debeat, quando peccata sunt
„ secreta ".

CAPUT IV.

De Religione.

Quæst. I. QUid est Religio?
Resp. Est virtus moralis, qua Deo redditur cultus, obsequium, & reverentia, quæ ipsi debentur. Patet ex Sancto Thoma 2. 2. q. 81. art. 1.

Religio est virtus moralis, quia habet pro objecto proprios actus, quibus defert Deo honorem, & debitam reverentiam, cujusmodi sunt, adoratio, & sacrificium; & respicit Deum solummodo tamquam finem: „ Duo in Re-
„ ligione consideranda sunt, *ut ait D. Thomas* (2. 2. *q.*
„ 81. *art.* 5 *in corp.*), unum quidem, quod Religio Deo
„ offert, scilicet cultus: & hoc se habet per modum ma-
„ teriæ, & objecti ad Religionem. Aliud autem est id,
„ cui offertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur: non
„ quod actus, quibus Deus colitur, ipsum Deum attin-
„ gant: sicut cum credimus Deo, credendo Deum attin-
„ gimus, propter quod supra dictum est, quod Deus est
„ fidei objectum, non solum in quantum credimus Deum,
„ sed in quantum credimus Deo. Affertur autem Deo de-
„ bitus cultus, in quantum actus quidam, quibus Deus
„ colitur, in Dei reverentiam fiunt, puta sacrificiorum
„ oblationes, & alia hujusmodi; unde manifestum est,
„ quod Deus non comparatur ad virtutem Religionis, si-
„ cut materia, vel objectum, sed sicut finis; & ideo
„ Religio non est virtus theologica, cujus objectum est
„ ultimus finis; sed est virtus moralis, cujus est esse cir-
„ ca ea, quæ sunt in finem.

Dicitur virtus, qua Deo defertur debitus cultus, quod est proprium Religionis objectum, actus enim hujus virtutis immediate ex se ipsis ordinantur ad reddendum Deo debitum cultum propter ejus excellentiam. Quare ex S. Thoma (2. 2. *q.* 82. *art.* 3. *ad* 1.): *Religio habet duplices actus; quosdam quidem proprios, & immediatos quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum; sicut sacrificare, adorare, & alia hujusmodi: alios autem actus habet, quos perducit mediantibus virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam; & secundum hoc actus Religionis per modum imperii ponitur esse*, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: *quod est actus elicitus a misericordia*: cum scilicet hi actus fiunt propter gloriam Dei. Igitur actus aliarum virtutum, v. g. misericordiæ, temperantiæ, & similium, possunt esse actus Religionis, quia possunt elici ex motivo Religionis ad colendum Deum: quamquam Religio ipsa sit virtus specialis, quæ per se & immediate tendit

ad reddendum uni soli Deo cultum ipsi debitum ab omnibus creaturis mente & ratione præditis.

Nomen autem Religionis a religando dictum est, ut ait S. Augustinus (*tom.* 1. *de vera Relig. lib. un. c.*55.): *Ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas nostras; unde Religio dicta creditur.*

Quæst. 2. Quomodo dividuntur actus Religionis?

Resp. Dividuntur primo in interiores, & exteriores. *Religio*, inquit S. Thomas (2. 2. *q.* 81. *art.* 7. *in corp.*), *habet quidem interiores actus quasi principales, & per se ad Religionem pertinentes: exteriores vero actus quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos.* Utrosque indicat Psalmista Regius, cum ait, de seipso loquens (*Psal.* 83.): *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quemadmodum enim actus interiores pertinent ad cor, id est, ad animam: ita exteriores, ad membra corporis nostri spectant.

Quæst. 3. Quinam sunt actus interiores Religionis?

Resp. Duo sunt, nempe devotio, & oratio?

Quæst. 4. Quid est Devotio?

Resp. Devotio, secundum sanctum Augustinum (*lib. de Spiritu & anima c.* 50. *tom.* 3.), *est pius, & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ: pius ex consideratione divinæ clementiæ.* Hæc est, juxta mentem hujus sancti Doctoris, devotio præcipue sita in sancta quadam dispositione, quæ veluti regnat & dominatur in omnibus actionibus nostris, quaque efficitur, ut totaliter intenti simus ad unum Deum amandum, & ex toto corde colendum, cum summa in divina bonitate fiducia, & virium nostrarum diffidentia.

Quæst. 5. Oratio est-ne actus Religionis?

Resp. Oratio est proprie actus Religionis; est enim incensum Deo gratissimum, ut ait Psalmista: *Per orationem autem*, inquit D. Thomas, (2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *in corp.*) *homo Deo reverentiam adhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, & profitetur orando, se eo indigere sicut authore suorum bonorum; unde manifestum est, quod oratio est proprie Religionis actus.* Quare S. Hieronymus ait (*apud Bedam tom.* 7. *in Scintil. c.* 7. *de oratione*): *Sicut militem sine armis ad bellum exire non convenit: ita homini Christiano procedere quolibet sine orationibus non convenit.*

Quæst. 6. Quinam sunt actus exteriores Religionis?

Resp. Præcipui sunt tres, adoratio, sacrificium, & votum. Hi actus dicuntur exteriores, quia foras erumpunt sensibilibus signis; debent tamen, ut meritorie fiant, procedere ex interiore motivo, simul cum actibus interioribus animæ, qui cohæreant atque conveniant cum externis adorationis, aliorumque actuum signis, adeo ut Deum interius adoremus, & intimo cordis affectu, cum eum exterius, & coram hominibus adoramus.

Quæst. 7. Quid est Adoratio?

Resp. Ex Sancto Damasceno (*de imaginibus or.* 1.), *Adoratio est submissionis nota*, quæ fit ad agnoscendam, & recolendam alterius excellentiam, qui nobis superior est; & ita generaliter loquendo, definitur adoratio: verum in quantum sumitur ut actus Religionis, juxta Sanctum Damascenum (*ibid. orat.* 3.), *est animi sedentis, id est, submissi, atque humilis significatio*; quam Deo exhibemus exteriori corporis humiliatione, indicando reverentiam, quam ejus infinitæ majestati debemus.

Quæst. 8. Quotuplex est adoratio, seu potius cultus?

Resp. Triplex est, scilicet cultus Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ. Cultus Latriæ soli Deo debetur, estque verus Religionis actus, quo recognoscimus divinam ejus majestatem, & supremum in omnes creaturas dominium. De hac adoratione dicitur Matth. c. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, eique soli servies*. Et ut ait S. Joannes Damascenus loco citato; *Est adoratio quam Deo, qui natura solus adorandus est, exhibemus, & Latria dicitur.*

Adoratio, seu potius cultus Duliæ, est ille, quem deferimus Angelis, & Sanctis, quatenus sunt amici, & fideles Dei servi.

Denique cultus Hyperduliæ exhibetur Beatissimæ Virgini Deiparæ: quia licet pura tantum sit creatura, eique propterea Latriæ cultus exhiberi nequeat, qui uni soli Creatori debetur; nihilominus, ut ait S. Bonaventura (*in 3. sent. dist. 9. q. 3. art. 3. num. 19. in corp.*) „Beatissima Virgo Maria pura creatura est, & ideo ad „honorem, & cultum Latriæ non ascendit. Sed quoniam „excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius „puræ creaturæ convenire non potest, ideo non tantum „debetur ei honor Duliæ, sed Hyperduliæ. Hoc autem „nomen est, quod virgo existens, Dei Mater est; quod „quidem tantæ dignitatis est, quod non solum viatores, „sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam Angeli eam revereantur quadam prærogativa speciali: ex hoc enim, quod mater Dei est, prælata cæteris creaturis, & eam præ cæteris decens est „honorari. Hic autem honor consuevit a Magistris Hyperdulia vocari“.

Quæst. 9. Potest-ne alia prædictorum cultuum assignari divisio?

Resp. Dici potest, quod datur adoratio altera absoluta, altera respectiva, seu relativa: quamvis autem adoratio absoluta in rigore soli Deo possit exhiberi, latius tamen aliquando usurpatur, & tribuitur cultui, qui defertur Deiparæ, Angelis, & Sanctis, propter excellentiam modo supra explicatam. Adoratio respectiva ea est, quæ exhibetur creaturis anima carentibus, quatenus Deum repræsentant: dicitur respectiva, quia hic honor non redditur his imaginibus, nisi respective ad prototypum

suum.

suum. Sic adorantur cruces, & imagines quæ repræsentant Deum, cultu Latriæ, quæ repræsentant Deiparam, cultu Hyperduliæ, denique, quæ repræsentant Angelos, aut Sanctos, cultu Duliæ.

„ Opportunus hic se offert locus gravissimæ admonitio-
„ ni, *inquit Illustrissimus Stephanus Cosmus, Archiepi-*
„ *scopus Spalatensis* (*Syn. Spalatens. anno* 1608. *c.*20.),
„ quoniam populus quibusdam exterioribus devotionibus
„ impense gaudet erga Sanctos, ad quorum cultum piæ
„ Societates in Ecclesiis erectæ sunt, iisque nimium, &
„ interdum etiam unice fidere videtur: diligenter, &
„ sæpe Parochi fideles admoneant, hujusmodi exteriores
„ devotiones tum solum utiles esse, si cum animi fer-
„ vore & devotione conjungantur, summamque nostræ
„ saluti in morum innocentia, divinæ legis observantia,
„ contritionis & charitatis actibus positam esse ".

Quæst. 10. Quomodo intelligendum est, quod dicitur in primo Decalogi Præcepto: quod sic exprimitur, Exodi cap. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neque coles?*

Resp. His verbis prohibebat Deus populo suo idololatriam; & ne in hoc prolaberentur crimen, ad quod maxime propendebant, accedente præsertim finitimorum exemplo, prohibuit omnes imagines creaturarum, ne colerent illas: & quidem evidenter patet, hoc a Deo factum, ut hunc populum ab idololatria contineret, cum in veteri testamento sæpe præceperit, ut fierent imagines; & ita significasse, eas prohibitas tantum fuisse, ut idololatria caveretur, cui inservire, & occasionem præbere poterant. Videmus enim Exodi cap. 25. Deum Moysi præcepisse: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies.* Et Numerorum 21. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo.* Et de Salomone dicitur (*lib.* 3. *Reg. cap.* 6.): *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum .... & omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* Quæ satis ostendunt, imagines in Exodo tantum prohibitas fuisse, ne adorarentur ab Hebræis: unde cum Christiani colunt imagines, nullo modo peccant contra hoc præceptum; quoniam quidem hic honor totus in Deum, & Sanctos, qui iis repræsentantur, ordinatur. Quare S. Gregorius scribens ad quemdam solitarium, ait (*S. Greg. ep. l.* 7. *ep.* 53.): „ Scio quidem, quod imaginem Salvatoris
„ nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas; sed ob
„ recordationem Dei, in cujus amorem recalescat, cu-
„ jus tu imaginem videre desideras: & nos quidem non
„ quasi ante divinitatem, ante illam prosternimus; sed
„ illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut

„ passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et „ dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam „ Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurre„ ctione lætificat, aut de possessione demulcet.

Hoc autem explicat Concilium Tridentinum (*Sess.* 25. *de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum*) his verbis: „ Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & „ aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, „ eisque debitum honorem, & venerationem impertien„ dam; non quod credatur, inesse aliqua in eis divini„ tas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod „ ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in ima„ ginibus sit figenda: veluti olim fiebat a gentibus, quæ „ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, „ qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ re„ præsentant; ita ut per imagines quas osculamur, & „ coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chri„ stum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudi„ nem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præ„ sertim vero secundæ Nicænæ Synodi, decretis contra „ imaginum oppugnatores est sancitum". Verba Concilii Nicæni sunt (*act.* 3. *can.* 7. *Et act.* 3. *&* 4.): „ Impiam ergo hæresim eorum, qui Christianos accu„ sant, alia quoque impia consecuta sunt. Quemadmo„ dum enim venerabilium imaginum aspectum ex Ec„ clesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, „ quos quidem oportet renovari, & tam ex jure scripto, „ quam non scripto sic observari". Venerabilis Petrus Cluniacensis respondens objectionibus Petrobusianorum hæreticorum, quos hæretici hujus temporis imitari voluerunt, paucis verbis explicat quomodo Catholici adorent Crucem (*ep. contra Petrobusian. cap.* 1.): „ Si„ gnum, *inquit*, non colimus, aut adoramus, quia ma„ net sententia: Dominum tuum adorabis, & illi soli „ servies. Sed dum crucem me adorare dico, crucifi„ xum Dominum Deum meum esse, meque illi soli ser„ vire debere profiteor .... Cum ante Crucem humilia„ tus prosternor, eum, qui in ipsa olim pro requie no„ stra tortus, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & „ Dominum, cui hoc soli debetur, adoro".

Unde etiam Antonius Maria Cardinalis Gallus, in Synodo Auximana (*an.* 1593. *de imaginib. cap.* 10.) statuit, ut „ Concionatores, & Parochi frequenter in„ struant imperitam multitudinem modum venerandi sa„ cras Imagines, juxta Nicæni, & Tridentini Concilii „ Decretum; ne adorationem Latriæ soli Creatori debi„ tam, creaturis impendant, neve imaginem veneren„ tur, sed imaginatum: nec signis tantum adhæreant, „ sed rebus signatis; prout in dicto Nicæno Concilio „ pie fuit declaratum".

Effigiem Christi, quam cernis, pronus honora,
Non tamen effigiem, sed quod designat adora;

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

„ Magnus sacris imaginibus honos debetur, *inquit e-*
„ *ruditissimus Episcopus Amerinus, Antonius Maria*
„ *Gratianus* (*Syn. Amerin. anno* 1595. *c.* 727.); sed ma-
„ gna quoque exhibenda cautio est, ne imperiti modum
„ excedant. Doceri ergo a Parochis populum jubemus,
„ honorem quidem, ac venerationem imaginibus sacris
„ tribuendam; non tamen credendum, Divinitatis quid-
„ quam illis, aut cælestem ullam inesse vim, propter
„ quam colendæ nobis sint, vel a quibus poscendum
„ quid tanquam dare ipsæ, & animi nostri optatis res-
„ pondere possint; vel omnino, in quibus ulla nobis
„ spes, fiduciaque ponenda sit: quod olim impio errore
„ de simulacris suis, idolisque gentes opinatæ sunt, iis-
„ que velut Diis sacrificia, votaque faciebant. Longe ab
„ hac pravitate piorum mentes, & Catholicæ Ecclesiæ
„ sensus abest, quæ tributam imagini venerationem o-
„ mnem, ad ipsum refert, cujus illa imago est. Ut cum
„ Jesu Christi pictam sculptamve speciem intuemur, ei-
„ que aut osculum figimus, aut datis ad terram genibus
„ cultum impartimur, Christum ipsum Redemptorem no-
„ strum adoramus, in eumque ab imagine, quum coram
„ habemus, animum mentemque dirigimus. Item cum
„ Sancti alicujus simulacrum aspicimus, adhibita illi
„ veneratio, ad ipsum Sancti prototypum omnis defertur.

Quæst. 11. Quid est Votum?

Resp. Ex S. Thoma (2. 2. *q.* 88. *art.* 1. & 2.): *Est promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono.*

Est primo *promissio*, id est, non simplex propositum; sed insuper requiritur, ut adsit vera se ad aliquid obligandi intentio. Quare Innocentius Papa III. super hac re interrogatus, sic respondet (*Cap. litteraturam tuam, de voto.*): „ Cum ex quadam minutione nimio fuisses
„ mortis pavore perterritus, hæc verba protulisti: Non
„ diu hic morabor, proponens in animo, quod religio-
„ nis habitum esses aliquando suscepturus. *Et infra*;
„ Tibi igitur respondemus, quod si plus non est in vo-
„ to processum, transgressor judicari non poteris, si non
„ impleas, quod dixisti.

Est promissio *deliberata*; ut enim ait S. Thomas (2. 2. *q.* 83. *art.* 1. *in corp.*) „ Promissio procedit ex propo-
„ sito faciendi; propositum autem aliquam deliberatio-
„ nem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ.
„ Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur.
„ Primo quidem deliberatio: secundo propositum volun-
„ tatis: tertio, promissio, in qua perficitur ratio voti.
Hinc concludere possumus, quod qui temere vota emittunt, non tenentur adimplere; quia proprie vota dici non debent, defectu deliberationis: imo quoties adest

aliqua credendi ratio , quod deliberatio , quæ votum præcessit, sufficiens non fuit ; nec eum , qui votum edidit, ea prævidisse , quæ obligationem, cui se obstrinxit, consequerentur ; adest quoque legitima causa dispensationis petendæ, & obtinendæ a Superiore.

Est promissio *Deo facta* : quia, ut ait Divus Thomas (*2. 2. q. 82. art. 2. in corp.*): *Manifestum est, quod operari ea, quæ pertinent ad divinum cultum, seu famulatum, pertinet proprie ad Religionem. Votum*, ait idem Angelicus Doctor (*2. 2. q. 8. art. 5. ad 3.*) ,, soli Deo ,, fit ; sed promissio etiam potest fieri homini ; & ipsa ,, promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub vo- ,, to, in quantum est quoddam opus virtuosum ; & per ,, hunc modum intelligendum est votum , quo quis vo- ,, vat aliquid Sanctis , vel Prælatis, ut ipsa promissio ,, facta Sanctis, vel Prælatis, cedat sub voto materiali- ,, ter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum , quod Sanctis, vel Prælatis promittit.

Denique est promissio *de aliquo meliori bono* ; quia , ut ait Sanctus Antoninus, post Sanctum Thomam (*p. 2. tit. 11. c. 1. §. 1.*): *Votum est promissio de meliori bono opere, quam sit illud, ad quod tenemur de necessitate salutis*. Potest etiam sic accipi, quia necesse est, ut id, quod est voti materia, consistere possit cum alio meliori bono. Si quis igitur voverat matrimonium, votum esset nullum, quia virginitas, quæ est eo perfectior, non consistit cum tali voto.

Quæst. 12. Quomodo dividitur votum ?

Resp. Dividitur primo in absolutum , & conditionatum : secundo in reale, & personale : tertio in votum reale simul, & personale : deinde in votum simplex, & votum solemne.

Quæst. 13. Quænam sunt vota absoluta , & conditionata ?

Resp. Votum absolutum est illud, quod emittitur absque ulla conditione ; quare tenetur quis illud quamprimum implere, juxta id , quod dicitur Deuteronomii c. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Votum conditionatum est illud, quod non obligat, nisi apposita, seu impleta conditione : V. G. si quis vovet, se centum nummos daturum pauperibus si convalescat ; non tenetur implere votum, nisi post restitutam valetudinem.

Quæst. 14. Quid intelligis per vota realia & personalia, & per vota quæ mixta dicuntur ?

Resp. Votum reale est illud, quod habet pro materia res, quæ sunt extra nos , puta bona temporalia ; cum quis Deo promittit, V. G. se calicem daturum Ecclesiæ, eleemosynam pauperibus erogaturum, &c. Votum personale habet pro materia personas , vel actiones nostras , V. G. cum quis Deo se consecrat, aut altarium ministerio

rio

rio per Ordinum sacrorum susceptionem, aut Religiosam professionem, vel cum promittitur Deo peregrinatio, jejunium, oratio &c. Votum mixtum, scilicet reale simul, & personale, habet pro materia actus nostros, aut personas, & bona nostra; V. G. Petrus vovet, se visitaturum Lauretanam Domum, & tale vel tale ornamentum exhibiturum.

Est etiam hoc discrimen inter votum reale, & votum personale, quod obligatio voti realis (quod potest ab altero, quam ab emittente, impleri) transit ad hæredes, ut dicitur in c. *Ex parte, de sensibus*; non autem personale.

Quæst. 15. Quænam sunt vota simplicia, & quæ solemnia?

Resp. Votum solemne aliud est, quod solemnizatur per professionem approbatæ Religionis; aliud est votum tacitum castitatis, quod fit, cum recipitur Subdiaconatus, aut alter Ordo sacer: cætera vero vota censentur simplicia: *Votum solemne*, inquit Sanctus Antoninus (*p.* 2. *tit.* 11. *c.* 2. §. 1.) „ aliud est, quod solemnizatur „ per professionem approbatæ Religionis, aliud, quod „ solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, scilicet „ Subdiaconatus, ut supra. Omne autem votum, quod „ non est solemne, est simplex, sive illud fiat publice, „ sive privatim; sive ore, sive tantum corde ". Idem habetur in Canone his verbis (*Cap. Quod votum, de voto in* 6.): „ Præsentis declarandum duximus oracu- „ lo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, „ quantum ad post contractum Matrimonium dirimen- „ dum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sa- „ cri Ordinis, aut per professionem expressam, vel ta- „ citam, factam alicui de Religionibus per Sedem A- „ postolicam approbatis. Reliqua vero vota, & si quan- „ to manifestius sunt emissa, tanto durior pœnitentia „ transgressoribus debeatur, non tamen rescindere pos- „ sunt Matrimonia post contracta.

Quæst. 16. Tenemur ne implere vota emissa ante pubertatis tempus, quod definitum est ad decimum quartum annum in masculis, & ad duodecimum in puellis?

Resp. Ex sancto Thoma (2. 2. *q.* 88. *art.* 9. *in corp.*); „ Ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis: „ quia & patiuntur rationis defectum, ut in pluribus, „ & sunt naturaliter sub cura parentum; & ideo eorum „ vota ex duplici causa robur non habent. Contingit ta- „ men propter naturæ dispositionem, quæ legibus hu- „ manis non subditur, in aliquibus, licet paucis, acce- „ lerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capa- „ ces. Est ergo dicendum, quod si puer, vel puella „ ante pubertatis annos attigit usum rationis, potest se „ obligare: quantumcumque tamen sit doli capax, an- „ te annos pubertatis non potest obligari voto solemni, „ propter Ecclesiæ statutum, a qua suam virtutem, &

„ robur accipit votum solemne : & Ecclesia suas leges
„ sancire solet secundum id, quod accidit ut plurimum,
„ non autem secundum ea, quæ rarius eveniunt “. Unde Concilium Tridentinum (*sess.* 25. *de regularib. c.* 15.) ait: *In quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; professio autem antea facta sit nulla.*

Quæst. 17. Tenemur-ne sub pœna peccati mortalis implere vota simplicia, quæ emisimus?

Resp. Affirmat Innocentius Papa III. relatus in Canone, his verbis (*Cap. Licet, de voto, & voti redemptione.*): *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo: usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Et sanctus Augustinus voti obligationem, simul & utilitatem, sic explicat (*ep.* 45. *ad Armentarium, de contemptu mundi.*): „ Quia jam vovisti, jam te
„ obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quod esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito: sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris, quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses: minor enim tunc esses, non pejor: modo autem tantum, quod absit, miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adjuvabit, quia vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ ad meliora compellit.

Quæst. 18. Tenetur-ne quis implere votum, quod dubitat, an revera emiserit?

Resp. Dicendum de voto, quod de reliquis conscientiæ obligationibus, in quibus, juxta regulam juris, tenemur sequi tutiorem viam, scilicet implere, quod dubitamus, an noverimus: hoc autem intelligendum est de dubio fundato, non vero de simplici, & mere scrupuloso. Ita sentiunt duo Sancti Doctores, Divus Thomas (*in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 6.), & *Divus Antoninus*:
„ Obligatio voti ex propria voluntate causatur, *inquit Sanctus Thomas*; unde si vovendo prius cogitavit religionem intrando, & postea elegit talem religionem, vel talem locum, obligatur simpliciter ad religionem; unde si non potest in illa quam elegit recipi, debet aliam quærere. Si autem primo, & principaliter cogitavit de tali religione, vel tali loco; in voto ejus intelligitur hæc conditio, si illi volunt eum recipere; alias esset indiscretum votum, unde conditione non extante non obligatur: si autem dubitet, quomodo se in vo-

„ ven-

„ vendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se dis-
„ crimini committat". Sanctus autem Antoninus ait (*p.* 2. *tit.* 11. *c.*2.§.10.): „ Existens in dubio, an transgrediatur
„ votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se
„ ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.

Quæst. 19. Tenemur-ne implere vota emissa ex metu gravi?

Resp. Duplex est gravis metus: alius procedit ab aliqua causa naturali, aut intrinseca, puta metus mortis proveniens ab aliqua infirmitate, metus naufragii a tempestate, metus inferni a cognitione propriorum peccatorum, & hujusmodi: & hic quidem metus ex causa naturali aut interiori profectus, vota non efficit nulla, seu invalida.

Quare Innocentius Papa III. relatus in Canone, ait (*Cap. Sicut nobis, de Regularibus, & transeuntib. ad Religionem.*): „ Quidam Clericus cum ægritudine ni-
„ mia laboraret, quasi de morte securus, & de recupe-
„ randa sanitate desperans, habitum Canonicorum regu-
„ larium petiit, & accepit .... si regularem habitum se
„ postulante suscepit, & ad observationem Religionis
„ Canonicæ sua se professione ligavit, ad resumendum
„ habitum Ecclesiastica est discretione cogendus.

Alius est metus procedens ex aliqua causa extrinseca, & libera, puta metus quem incutit pater filiæ, minitando illi mortem, nisi ingrediatur religionem; & hoc timoris genus irritat vota, ut asserit Alexander Papa III. relatus in Canone his verbis (*Cap. perlatum, de his quæ vi metusve causa fiunt.*) *Si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse.* Statuit Summus Pontifex, mulierem, quæ post professionem editam in religione, nupserat, cogendam esse, ut Monasterium repeteret, modo non timore mortis ingressa esset Monasterium, aut postea voluntarie vota sua rata habuerit. Rationem affert Glossa in cap. *Abbas*, quia vovendo promittimus Deo rem, ad quam ex nullo præcepto tenemur, ac proinde plene requiritur libertas; alias non esset votum.

Quæst. 20. Religiosus, qui professus est in Monasterio, in quo varii introducti sunt abusus, etiam quoad plurimos, & potissimos Regulæ articulos; quique solummodo intendit ibi profitendo vivere, sicut cœteri, qui aperte his in articulis Regulam infringunt; adeo ut minime emisisset vota, si credidisset, se postea teneri vivere juxta Regulam, tenetur-ne in conscientia observare quidquid in Regula præscribitur: an sufficit, ut vivat sicut cæteri, qui eandem Regulam professi sunt in illo Monasterio? Idem dic de Religiosa, seu Moniali.

Resp. Ut huic quæstioni fiat satis, sciendum est, hoc interesse inter votum simplex, & votum solemne, cujusmodi est votum Religionis, quod votum simplex pendeat ex sola voluntate illud emittentis: quare qui emit-

sit votum simplex, tenetur tantum illud implere, ad quod se obstringere intendit: sed e contra votum solemne pendet & a voluntate illud emittentis, & ab Ecclesia approbante Ordinem, & Regulam, ad quam voluit se obligare; cum emittere votum solemne religionis, sit profiteri velle observare unam ex Regulis ab Ecclesia approbatis, ut dicitur in Can. (*Can. Quod votum, de voto in 6.*) *Illud solum votum debet dici solemne ... quod solemnizatum fuerit .... per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*, adeo ut, licet pendeat a voluntate ejus, qui votum emittit, se obligare ad hanc, vel ad illam religionem ab Ecclesia approbatam, penes eum non stet, nec in ejus sit arbitrio, emittere votum solemne, hac lege, seu conditione, quod non servabit Regulam, nisi secundum abusus introductos, quosque nunquam permisit Ecclesia; ac proinde, qui emittit votum solemne religionis, tenetur observare præcipuos suæ Regulæ articulos, qui violari nequeunt, quin infringantur vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ; licet possit non implere res minoris momenti: quæ cum non sint de essentia hujus religionis, potuerunt aliquatenus abrogari. Ita clare Sanctus Thomas; sic enim sibi objicit (*in 4. dist. 38. art. 3. q. 1. ad 5.*): „ Non videtur teneri semper ad ea, quæ votum professionis continet, & ipse non intendit intrare Monasterium, nisi ut viveret, sicut alii vivunt: ergo videtur, quod non omne votum obliget, ut necessario servetur. Ad quintum dicendum, quod talis, qui interpretatum votum fecit, ad tria vota religionis principalia in omni casu tenetur; sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, non videtur obligari ". Enimvero, quæ omitti nequeunt sine quadam violatione votorum in religione factorum, abrogari consuetudine nequeunt, seu potius abusu contrario, licet a Superioribus tolerentur, quoniam quidem in iis dispensare non possunt Superiores: *Nec existimet Abbas*, inquit Innocentius III. relatus in Canone (*Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*,) *quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgentiam indulgere.*

Quantum autem ad varias Constitutiones, quæ omnino necessariæ & essentiales dici non possunt, licet multum prosint ad Religiosorum spiritualem profectum; videtur, quod Religiosus vere pius deberet illas observare, quantum salva pace, charitate, & concordia potest: & in ea saltem esse præparatione animi, ut illas in usum revocari vere desideret, & suo tempore prudenter tenetur.

Verum Concilium Tridentinum (*sess. 25. de regul. c. 1.*)

hanc

hanc quæſtionem dilucidat his verbis : „ Sancta Synodus
„ hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares, tam viri,
„ quam mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præ-
„ ſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque in
„ primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, aut o-
„ bedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt
„ alicujus Regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præce-
„ pta, ad eorum reſpective eſſentiam, necnon ad com-
„ munem vitam, victum, & veſtitum, conſervanda per-
„ tinentia fideliter obſervent ... Cum compertum ſit, a
„ Superioribus non poſſe, ea quæ ad ſubſtantiam regularis
„ vitæ pertinent, relaxari: ſi enim illa, quæ baſes ſunt,
„ & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non
„ fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

Qui plura volet de hac materia, videat Sanctum Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. & Cardinalem Turrecremata in Regulam S. Benedicti. Inſerta ſunt in fine hujus Tomi 6. Decreta S. Congr. ſuper diſciplina Regulari.

Quæſt. 21. Religioſa, quæ profeſſa eſt in Monaſterio, in quo jam dudum non obſervabatur Clauſura, teneturne obſervare deinde clauſuram, ſi legitimi Superiores eam reſtituant in dicto Monaſterio?

Reſp. Licet hæc Religioſa tempore profeſſionis ſuæ ita fuiſſet diſpoſita, ut eam emittere, ſeu facere noluiſſet, ſi ſciviſſet ſe ad clauſuram obligari potuiſſe; tenetur tamen eam obſervare, cum Superiores illam præſcribunt in ejus Monaſterio, juxta Decretum Concilii Tridentini (*ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 5.) his verbis: „ Bonifacii VIII.
„ conſtitutionem, quæ incipit *Periculoſo*, renovans, ſan-
„ cta Synodus univerſis Epiſcopis, ſub obteſtatione divini
„ judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præ-
„ cipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordina-
„ ria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſu-
„ ram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter re-
„ ſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari, maxime procurent.

Hac de cauſa Gregorius XIII. in ſimili cauſa Cardinali Borbonio Archiepiſcopo Rothomagenſi, & Epiſcopis in Concilio Provinciali congregatis, reſpondet in favorem clauſuræ. Dubium ſic propoſitum fuit Pontifici (*Concilium Rothomagenſe ann.* 1591. *nu.* 2.): „ Circa De-
„ cretum de clauſura Monialium, ſunt, quæ ex funda-
„ tione dicunt liberum ſibi relinqui exitum, & introi-
„ tum Monaſterii: aliæ prætexunt, ſe non emiſiſſe
„ votum clauſuræ, nec unquam ingreſſuras Monaſte-
„ rium, ſi audiſſent, ullam fuiſſe clauſuræ obligationem.
„ Pleræque minantur ſe potius reverſuras ad ſæculum,
„ quam patiantur eamdem clauſuram, & per parentes
„ nobiles necem etiam Epiſcopis intentant, ſi auſi fue-
„ rint egreſſum prohibere: in his perplexitatibus ſuppli-
„ catur, quid agendum, maxime ubi timetur, ne per
„ clauſuram aliquid deterius contingat, & magiſtratus
„ ſæculares non adjuvant.

Summus Pontifex, prius auditis Cardinalibus, & Prælatis Sacræ Concilii Tridentini Congregationis, ita respondit:

Executioni demandentur Decreta Concilii Tridentini, & Bullæ Summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes. Hoc est servanda, præcipienda, & introducenda clausura in omnibus Monasteriis Monialium, non obstante quacumque in contrarium ratione.

Quæst. 22. Hæredes aut Executores Testamentarii tenentur-ne implere vota testatorum?

Resp. Tria sunt distinguenda, ut supra diximus, votorum genera, scilicet vota personalia, realia, & mixta. Personalia sunt ea, quibus Deo preces, peregrinationes, ingressum Religionis, jejunia, continentiam, & similia vovemus; & ad hæc perficienda, seu complenda, neque hæredes, neque testamentorum executores tenentur: e contra vero realia, quia præcipue consistunt in aliqua re, quæ datur, aut in aliqua expensa, quæ fit, implenda sunt ab hæredibus, ubi facta, vel completa non fuerint a vovente. Quare si pater post votum editum de facienda eleemosyna, aut dando aliquid Ecclesiæ, moriatur prius quam tale votum impleverit, quod æque per alium, quam per ipsum, impleri potest, filius hæres tenetur ea implere. At quia tertia datur votorum species, quæ dicuntur mixta, personalia scilicet, & realia simul; dicendum, quod hæredes tenentur implere quod reale est in hujusmodi votis, non autem quod est personale: V. G. si testator vovisset peregrinationem ad Ædem Lauretanam Beatissimæ Virginis, ibique se vestimenta sacra Ecclesiæ, aut pecuniæ summam daturum; hæres tenetur rem oblatam persolvere, non autem peregrinationem suscipere, nisi forte testator expresse injunxisset illi, ut id pro se faceret.

Idem dicendum, si testator vovisset, se nomen daturum Crucigerorum expeditioni, seu bello contra infideles, aut hæreticos: hæres non tenetur illud votum pro illo exequi; verum tenetur impensis suis alium ad illam expeditionem adornare, seu dare pro impensis hujus sacri belli æqualem summam pecuniæ, quam probabiliter impendisset testator, ut votum suum impleret. Hæ quidem resolutiones sunt juxta doctrinam sacrorum Canonum. 1. Enim, quod spectat ad vota personalia, ita statuit Innocentius Papa III. relatus in Canone, his verbis (*Cap. licet, Extra, de voto.*): „ Accepimus siquidem quod cum Rex Hungariæ pater tuus agens in extremis, votum quod voverat Domino, Hierosolymitanam Provinciam in forti manu, humili corde visitare sub interminatione maledictionis paternæ commiserit tuæ fidei exequendum, & tu assumpto crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione quolibet promisisti. Mandamus, quatenus postpositis cæteris sollicitudinibus, propositum iter arripias, & humiliter prosequa-

„ sequaris : ne si onus tibi a patre injunctum , & a te
„ sponte susceptum , occasione qualibet detrectaveris ,
„ paterna te reddas successione indignum , & hæredita-
„ tis emolumento priveris , cujus recusaveris onera sup-
„ portare , sciturus & tunc anathematis te vinculo sub-
„ jacere &c.

Unde licet concludere, filium non fuisse obligatum ad implendum per se votum personale, si pater ejus id ipsi verbis expressis non præcepisset, aut si ipse non promisisset, id se executurum. Quod autem pertinet ad vota realia, sic statuitur in Canone (*Cap. Si hæredes, de testamentis.*) : *Si hæredes jussa testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius, omnis res, quæ eis relicta est, Canonice interdicatur cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur.*

Quæst. 23. Cum quis votum emisit pro alio, teneturne ille alius illud implere?

Resp. Casus iste sæpe contingit in morbis, seu infirmitatibus, & aliis periculis urgentibus; mulieres, aut aliæ personæ, quæ assistunt ægroto, promittunt aliquando, quod si restituatur in pristinam sanitatem, erogabit aliquam eleemosynam, vel suscipiet peregrinationem, aut aliquod aliud bonum opus; & tunc, juxta posita principia, dicendum est, quod si infirmus, vel alius, pro quo emissum est votum, non vult illud ratum habere, seque ad illud implendum obstringere, ad nihil tenetur; quia vota voluntaria esse debent: sed si infirmus postea sciens, illud ratum habet, & impleturum promittit, tunc tenetur illud adimplere, ac si ipse illud emisisset; quia & si initio non tenebatur, postea ultro se obstrinxit, libere illud acceptans, & cum cognitione.

Quæst. 24. Quodnam discrimen est inter irritare, & commutare votum, vel super eo dispensare?

Resp. Hoc est discrimen, quia irritare votum est reddere illud nullum, & efficere, ut quis non teneatur ad illud implendum. Hoc autem accidit, quoties opus est alterius consensu ad validatem voti; qui proinde renuens hunc consensum, efficit votum nullum; quia, ut ait Sanctus Thomas (*2. 2. q. 88. art. 9. in corp.*) ; „ Votum est
„ promissio quædam facta Deo : nullus autem potest per
„ promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in
„ potestate alterius ; sed solum ad id, quod est omnino
„ in sua potestate : quicumque autem est subjectus ali-
„ cui, quantum ad id, in quo est subjectus, non est
„ suæ potestatis facere, quod vult ; sed dependet ex vo-
„ luntate alterius : & ideo non potest se per votum
„ firmiter obligare in his, in quibus alteri subjicitur,
„ sine consensu sui superioris ". Quod Divus Thomas probat ex eo, quod Numerorum cap. 30. (*2. 2. q. 88. art. 8. in argum. sed contra.*) *Mandatur, quod si mulier in domo patris sui, & adhuc in puellari ætate, aliquid voverit, non tenetur rea voti, nisi pater ejus consense-*

 rit:

vit : & idem dicit de muliere habente virum ; ergo pari ratione, nec aliæ personæ alterius potestati subjectæ possunt se voto obligare.

Dispensare super voto, est declarare, observandum non esse, licet indebite emissum fuerit, quia supervenit aliqua circumstantia, quæ votum aut malum, aut inutile reddit ; aut efficit, ut sit obstaculum, & impedimentum majoris boni. Quare dispensare super voto, & illud irritare, longe differunt ; quia dispensatio non supponit votum fuisse nullum, aut inefficax, sed efficit nullum ob rationes voto jam emisso supervenientes : sed e contra irritare votum, est declarare, observatum non fuisse quidquid requiritur ad voti perfectionem. Hinc fit, ut ait S. Antoninus (*p. 2. tit. 1. c. 2. §. 6.*), „ quod irritatio pot-„ est fieri sine causa, & ad libitum irritantis ; sicut „ vir ad libitum irritat votum conjugis, ita quod nec „ ipse peccat irritando, quia nemini facit injuriam, „ qui utitur jure suo ; nec illa votum omittendo, cum „ fuerit inefficax a principio. Sed dispensatio in voto „ non fit propter inefficaciam voti, sed propter aliam „ causam ; unde requiritur non solum authoritas in „ dispensante, sed etiam causa ex parte dispensati, sci-„ licet necessitatis, vel utilitatis ejus, vel reipublicæ, „ in omni genere dispensationis, & in omni dispensan-„ te, etiam Papa, quia nec Petro, nec alteri commis-„ sa est authoritas, seu potestas in destructionem, sed „ in ædificationem.

Quando Prælatus non declarat, votum observandum non esse, sed solum mutat rem voto promissam in aliam, dicitur commutatio voti.

Quæst. 25. Quinam possunt irritare vota?

Resp. Primo summus Pontifex votum Episcopi irritare potest, qui sine ejus licentia non potest emittere votum de abdicando Episcopatu, aut reipsa illud dimittere ; quia non potest dimittere spirituale matrimonium, quod cum sua contraxit Ecclesia, nisi accedente sanctæ Sedis authoritate, ut patet ex Innocentio Papa III. relato in Canone, his verbis (*Cap. Nisi cum pridem, de renuntiat.*) : „ Si propter aliquam causam utilem & ho-„ nestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia „ nostra cedas : alioquin cedendi licentiam authoritate A-„ postolica tibi scias penitus esse interdictam, quoniam etsi „ pennas habeas, quibus satagas in solitudinem advolare ; „ ita tamen adstrictæ sunt nexibus præceptorum, ut libe-„ rum non habeas absque nostra permissione volatum ". Ut enim ait S. Thomas (*2. 2. q. 185. art. 4. in corp.*) : „ So-„ li Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad „ curam subditorum astrinxerit, Episcopatum suscipiens.

Patres & Matres & tutores possunt irritare vota emissa a pueris ante pubertatis annum, ut ait Concilium Triburiense, relatum in Canone, his verbis (*Can. Puell., 20. q. 2.*) *Puella si ante duodecim annos ætatis*

sponte

sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. Imo, ut docet S. Thomas (2. 2. *q.* 88. *art.* 9. *in corp.*) *Si puer ante pubertatis annos attigit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare: sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus*. Idem Doctor in eodem loco ait (*art.* 8. *ad* 3.) *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri*.

Quæst. 26. Quisnam potest super votis dispensare, vel ea commutare in alia opera pia?

Resp. „ Dicendum, *ait Sanctus Thomas* (2 2. *q.* 88. „ *art.* 2. *ad* 3.), quod quia summus Pontifex gerit ple- „ narie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet pleni- „ tudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabili- „ bus votis: aliis autem inferioribus Prælatis committi- „ tur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & in- „ digent frequenti dispensatione, ut habeant de facili ho- „ mines, ad quos recurrant: sicut sunt vota peregrinatio- „ num, & jejuniorum, & aliorum hujusmodi. Vota ve- „ ro majora, puta continentiæ, & peregrinationis terræ „ sanctæ, reservantur summo Pontifici ‟.

Quæst. 27. Sola Prælati authoritas sufficit-ne ad validitatem dispensationis, aut commutationis voti?

Resp. Præter authoritatem Prælati requiritur justa & legitima causa dispensandi in voto, vel illud commutandi; alias dicta dispensatio non solum est illicita, sed etiam invalida. Hac de causa Alexander Papa III. relatus in Canone (*Cap.* 1. *De voto & voti redempt.*), interrogatus, an vota peregrinationis possent commutari in eleemosynas, aut alia opera pia, sic respondet: „ Ab ejus qui præsi- „ det, pendet arbitrio, ut consideret diligentius quali- „ tatem personæ, & causam commutationis; scilicet an „ ex infirmitate, seu affluentia divitiarum, an alia causa „ probabili peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, „ & Deo magis accepta: & secundum hoc habet exinde „ dispensare ‟.

Rationem affert S. Thomas his verbis (2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. *ad* 2.) „ Cum potestas Prælati spiritualis, qui non est „ dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, „ & non in destructionem, ut patet 2. Corinth. 10. sicut „ Prælatus non potest imperare ea, quæ secundum se Deo „ displicent, scilicet peccata; ita non potest prohibere ea, „ quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera; „ & ideo absolute potest homo ea vovere. Ad prælatum „ tamen pertinet dijudicare, quid sit magis virtuosum, „ & Deo magis acceptum: & ideo in manifestis dispen- „ satio Prælati non excusaret a culpa: puta si Prælatus „ dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religio- „ nis, nulla apparenti causa obstante. Si autem esset

„ causa

„ causa apparens, per quam saltem in dubium vertere-
„ tur, posset stare judicio Prælati dispensantis, vel com-
„ mutantis: non tamen judicio proprio, quia ipse non
„ gerit vicem Dei nisi forte in casu, in quo id quod vo-
„ vit, esset manifeste illicitum, & non posset opportune
„ ad Superiorem recurrere".

Non necesse est, ut hic agamus de Sacrificio, quoniam de illo jam disseruimus copiose satis in tractatu 5. tertii voluminis hujus Moralis, agendo de Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT V.

De peccatis contrariis virtuti Religionis.

Quæst. 1. Quænam sunt peccata contraria virtuti Religionis?

Resp. Quatuor præcipue numerantur, scilicet superstitio, quæ plures complectitur species peccatorum; sacrilegium, impietas, & tentatio Dei.

Quæst. 2. Quid est superstitio?

Resp. Juxta Divum Thomam (2. 2. *q.* 122. *ar.* 1. *ad* 3.): „Omnes superstitiones intelliguntur prohiberi in
„ hoc quod dicitur; Non habebis Deos alienos coram
„ me. Definitur autem a Divo Augustino, dum ait (*l.*
„ 2. *de Doctr. Christ. c.* 20.): Superstitiosum est quid-
„ quid institutum est ab hominibus ad facienda & colen-
„ da idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum crea-
„ turam, partem ullam creaturæ, vel ad consultationes
„ & pacta quædam significationum cum Dæmonibus pla-
„ cita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum
„ artium; ex quo genere sunt, sed quasi licentiore va-
„ nitate, haruspicum & augurum libri; ad hoc ge-
„ nus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque reme-
„ dia, quæ medicorum quoque disciplina condem-
„ nat".

Hæc S. Augustini definitio, seu potius descriptio includit diversas superstitionum species, quarum prima est idololatria, quæ continetur his verbis: *Ad facienda & colenda idola*: Magia, maleficium, divinatio, vana observantia, & cultus indebitus, ac superfluus, sunt aliæ superstitionis species, quæ continentur in reliquis hujus descriptionis particulis.

Quæst. 3. Quid est idololatria?

Resp. Est latriæ cultus exhibitus vanis, & falsis numinibus, ut si adoretur Sol, aut Luna, vel quæcumque alia creatura. Idololatria est vera superstitio, ut patet ex verbis Divi Pauli Actorum c. 17. *Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur Spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem ... Stans Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

Quæst.

Quæſt. 4. Quid eſt Magia?

Reſp. Eſt inordinata poteſtas, quæ accipitur a Dæmone, medio aliquo pactorum cum ipſo initorum, per quam efficiuntur res, quæ ſuperant hominum vires, ſed non dæmoniorum.

Quæſt. 5. Quid eſt Maleficium?

Reſp. Eſt effectus magiæ, cum ſcilicet auxilio Dæmonis fiunt res, quæ humanam omnino ſuperant poteſtatem, ad nocendum alicui, ſive in corpore, ſive in anima, ſive in externis ejus bonis, ut cum aliquid perverſe agitur ad impediendam matrimonii conſummationem, cum procurantur morbi, aut hujuſmodi, poſt pactum cum maligno ſpiritu initum.

Quæſt. 6. Quid eſt divinatio?

Reſp. Eſt conſultatio Dæmonis, vel Magorum, ut aliquid occultum, vel futurum ſciatur; & ex S. Thoma (2. 2. *q.* 95. *ar.* 2. *in corp.*): *Omnis divinatio ex operatione Dæmonum provenit; vel quia expreſſe Dæmones invocantur ad futura manifeſtanda: vel quia Dæmones ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate; de qua vanitate dicitur in Pſ.* 39. Non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. *Vana autem inquiſitio futurorum eſt, quando aliquid futurum prænoſcere tentant, unde prænoſci non poteſt: manifeſtum eſt ergo, quod divinatio ſpecies eſt ſuperſtitionis.*

Quæſt. 7. Quid eſt vana obſervantia?

Reſp. Vana obſervantia dicitur, cum quis utitur quibuſdam mediis, quæ nullam virtutem habent ad producendos effectus, qui produci nequeunt, niſi per tacitum dæmonis pactum.

Quæſt. 8. Quid eſt cultus indebitus?

Reſp. Eſt ſuperſtitio, per quam exhibetur Deo honor apparens, & falſus; ut ſi quis annuntiaret falſa miracula aut falſas reliquias cultui exponeret: cultus etiam quem Deo exhibent Hebræi per Moſaicas cæremonias, eſt cultus falſus propter ſignificationem, qua repræſentant Meſſiam tamquam venturum, licet jam venerit. Hac de cauſa Divus Thomas ait (2. 2. *q.* 93. *art.* 1. *in corp.*): *Si per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificatur, erit cultus pernicioſus.*

Quæſt. 9. Quid eſt cultus ſuperfluus?

Reſp. Dicitur cultus ſuperfluus, cum quis in cultu Dei exteriore utitur quibuſdam rebus, vel circumſtantiis, quibus non utitur Eccleſia; quæ proinde vanæ ſunt, & inutiles; ut enim ait Concilium Tridentinum (*ſeſſ.* 22. *decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ.*): *Ne ſuperſtitioni locus aliquis detur edicto & pœnis propoſitis caveant, ne ſacerdotes aliis, quam debitis horis, celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint: quarumdam vero Miſſarum, & candelarum*

rum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant.

Quæst. 10. Prædictæ superstitionum species sunt-ne mortale peccatum?

Resp. Superstitio idololatriæ non solum est mortale peccatum, sed, ut ait S. Thomas (1. 2. *q.* 93. *art.* 3. *in corp.*) „ In peccatis quæ contra Deum committuntur „ (quæ tamen sunt maxima) gravissimum esse videtur, „ quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat: quia „ quantum est in se, facit alium Deum in mundo, mi- „ nuens principatum divinum “.

Quod spectat ad magiam, potest illa dividi in magiam naturalem, artificialem & diabolicam. Naturalis est, cum fiunt res quidem extraordinariæ & stupendæ, sed solis naturæ viribus; Artificialis miros quoque producit effectus, per humanam industriam. Verum magia diabolica producit effectus ultra naturæ, & artis vires per dæmonis auxilium. Hoc supposito; nulli vertitur in dubium, quin actus diabolicæ magiæ sint enormia peccata, actus vero magiæ naturalis, & artificialis, sæpe sunt cum periculo, & possunt per accidens esse culpabiles, puta si exerceantur ob malum finem; si scandalum oriatur; si detur credendi occasio, quod effectus inde provenientes ab auxilio dæmonis procedant; & si inferant aliquod damnum proximo in corpore, aut in anima.

Maleficium, quod maximam habet cum magia affinitatem, est ex natura sua mortale peccatum; tum quia est tacita vel expressa Dæmonis invocatio; tum quia perniciosum est humano generi.

Videatur Bulla Gregorii XV. contra Maleficos, in fine hujus Tomi 6.

Quæst. 11. Quænam adhibenda sunt media, ut impediantur vel removeantur maleficiorum effectus?

Resp. In talibus occasionibus ad ea recurrendum est remedia, quæ a Deo, & ab Ecclesia sunt approbata, quæque præscribuntur in Canone, his verbis (*Can. Si per Sortiarias*, 33. *q.* 1.): „ Si per sortiarias, atque male- „ ficas artes, occulto, sed numquam injusto Dei judicio „ permittente, & Diabolo præparante, concubitus non „ sequitur: hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut cor- „ de contrito, & spiritu humiliato, Deo & sacerdoti „ de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, „ & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, „ & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant; „ & per exorcismos, & cætera Ecclesiasticæ medicinæ „ munia ministri Ecclesiæ tales, quantum Dominus an- „ nuerit, qui Abimelech ac demum ejus Abrahæ oratio- „ nibus sanavit, sanare procurent “.

Sed nullatenus solvere licet maleficium alio maleficio, neque permittere, ut Magus illud solvat per auxilium, & invocationem Dæmonis; neque etiam confugere ad ali-

aliquam ſuperſtitionem, aut vanam obſervantiam, ad illud dirimendum: ne locum demus illi dicto Apoſtoli (*Epiſt. ad Rom. c.* 3.): *Ajunt quidam nos dicere; faciamus mala, ut veniant bona; quorum damnatio juſta eſt*.

Hac de cauſa, ut dicitur in Rituali Romano (*de Exorcizandis obſeſſis a Dæmonio*): „ Aliqui oſtendunt „ factum maleficium & a quibus ſit factum, & modum „ ad illud diſſipandum; ſed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ „ miniſtros, confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio „ modo illicito utatur ". Unde Facultas Theologiæ Pariſienſis 19. Septembris 1398. a. 6. damnat hanc aſſertionem: *Quod licitum ſit, etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere: error*.

Poſſunt tamen comburi, vel auferri ſigna maleficiorum, intendendo deſtruere opera Diaboli, modo non expectetur ab eo, ut ceſſet a damno nobis inferendo, quia deſtruximus hæc maleficiorum ſigna; eſſet enim ſuperſtitio. Quare qui ſolvit, aut comburit res, quibus maleficium annectitur, debet renunciare omni pacto cum Dæmone, & nihil ab eo ſperare. Hoc ſenſu ſic ait Rituale Romanum (*de Exorcizandis obſeſſis a Dæmonio*): „ Jubeat Dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, „ vel inſtrumenta: quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, *evomat*, vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & „ inventa comburantur ".

Quæſt. 12. Divinatio eſt-ne ſemper mortale peccatum?

Reſp. Multa ſunt divinationum genera: alia enim eſt divinatio, quæ fit per invocationem Dæmonis expreſſam, vel tacitam. Si invocatio ſit expreſſa, ſemper eſt peccatum mortale; quia, ut ait Sanctus Thomas (2. 2. *q.* 95. *art.* 4. *in corp.*): *Omnis divinatio, quæ fit per invocationes Dæmonum, eſt illicita*: ſed ſi eſt tantum tacita, eſt mortale peccatum, quoties adeſt ſufficiens judicandi fundamentum, quod media, quæ adhibentur, ſint frivola, neque producere poſſunt effectum, qui intenditur; quia credi poteſt adeſſe aliquod pactum cum Dæmone. Sic licet ignorantia poſſit aliquando excuſare, ſi crederetur, rem ſciri poſſe per media adhibita, quæ cenſentur mere naturalia; nihilominus res eſt admodum periculoſa, nec facile quis ſibi perſuadere debet, aut etiam in his admodum delicatis ſibi adulari.

Quæſt. 13. Divinatio, quæ fit per Aſtrologiam, eſt-ne mortale peccatum?

Reſp. Hæc divinationis ſpecies ſine peccato fit, quoties principiis innititur univerſalibus, conſtantibus, & nulli variationi obnoxiis, ita ut ſecundum regulas artis, res prædici poſſint; ut enim ait Sanctus Thomas (2. 2. *q.* 95. *art.* 5. *in corp.*): „ Eſt conſiderandum, „ quid per cæleſtium corporum inſpectionem de futuris

„ poſſit

„ possit præcognosci : & de his quidem quæ ex necessi-
„ tate eveniunt, manifestum est, quod per considerationem
„ nem stellarum possunt præcognosci : sicut Astrologi
„ prænunciant eclipses futuras. Si quis consideratione
„ Astrorum utatur ad præcognoscendos futuros casuales,
„ vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per
„ certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex
„ falsa & vana opinione: & sic operatio Dæmonis se im-
„ miscet, unde erit divinatio superstitiosa & illicita ".

In hoc sensu Sixtus Papa quintus sub gravissimis pœnis damnavit Astrologiam judiciariam in Bulla 17. quæ incipit: *Cæli & terræ:* Non est vestrum, *inquit*, scire
„ tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua pote-
„ state. Nec vero ad futuros eventus, & fortuitos casus
„ prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis
„ necessario, vel frequenter provenientibus, quæ ad di-
„ vinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ
„ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces & vanæ
„ improborum hominum astutia, & Dæmonum fraudibus
„ introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel au-
„ xilio, omnis divinatio dimanat; sive quod expresse ad
„ futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravita-
„ te sua & odio in genus humanum, occulte, etiam
„ præter hominis intentionem, se ingerant, & intrudant
„ vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum
„ perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium præ-
„ nunciatione implicentur, & omni impietatis genere
„ depraventur .... Itaque cum futuros eventus in seipsis
„ considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud
„ necessario consequitur, ut Astrologi & alii prædicti,
„ qui hujusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quo-
„ cumque modo, nisi Deo revelante, audent, injuste
„ atque imprudenter, quod Dei est, sibi assumant, &
„ usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est
„ Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina Ma-
„ jestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, &
„ animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis
„ atque exitium importetur ". Videatur Bulla integra in fine hujus Tomi 6.

Hæc eadem Astrologia judiciaria variis damnata legitur in Conciliis: Toletano primo Can. 15. „ Si quis Astrolo-
„ giæ, vel Mathesi existimat esse credendum, anathema
„ sit. *Concilium Mediolanense primum, de magicis ar-*
„ *tibus:* Astrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum A-
„ strorum motu, figura & aspectu, de hominum actioni-
„ bus, quæ a libero voluntatis arbitrio proficiscuntur,
„ certo aliquid eventurum affirmant, gravibus pœnis ple-
„ ctantur. *Concilium Remense anno* 184. *c. 6. de Sortile-*
„ *giis:* Qui divinationibus seu prædictionibus ad artem
„ judiciariam pertinentibus (quas impie prophetias ap-
„ pellant) utuntur, vel eisdem fidem adhibent, excom-
„ municentur. *Concilium Burdigalense an.* 1583. *c.* 7.
„ Pa-

„ Paſtores frequentiſſime admoneant, ſcelus execrandum „ eos committere, necnon a communione fidelium avul- „ ſos eſſe, qui magicas artes, & divinationes exercent, „ vel qui ejus generis ariolis fidem adhibent. Omnia „ enim hæc (ut ſacris litteris traditum eſt) abominatur „ Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera exterminantur „ populi a facie terræ. Sed non minus culpandi ſunt, „ qui ex aſtris, Chaldæorum more, futura temere ſom- „ niant, potius quam prædicunt, & aſtrologiæ, quam ju- „ diciariam vocant, uſu ſacrilego, arbitrii noſtri liberta- „ tem, & Dei providentiam opprimunt. *Concilium Tho-* „ *loſanum an.* 1590. *p.* 4. *c.* 12. de Hæreticis, Magis &c. „ Qui rerum futurarum a Deo liberaque hominis volun- „ tate magna ex parte pendentium prædictiones libri con- „ tinent, iique quos Arabico vocabulo vocant, omnino „ prohibeantur, niſi forte prænunciationes ejuſmodi ex- „ pungantur, eaque ſolum relinquantur, quæ pluviarum, „ ventorum, ſterilitatis, fertilitatis, eclipſeon, rerum- „ que ſimilium prognoſtica attingunt, quodve Conſtitu- „ tione Sixti V. ea de re promulgata cavetur, id ada- „ muſſim obſervetur. *Concilium Narbonenſe an.* 1608. *c.* „ 3. *de libris vetitis* : Damnamus magos, veneficos, di- „ vinatores, ſortilegos, conjectores, augures, haruſpices, „ mathematicos judiciarios; cum dæmonibus fœdera & „ pacta tacite, vel expreſſe habentes, morbos impreca- „ tionibus, verbis, ligaturis, aut actionibus, ſuperſtitio- „ ſe ſanare intendentes: eos uti ſacra decreta excommu- „ nicarunt ipſo facto, ſic & nos excommunicamus ".

Sancti Patres & Doctores Eccleſiæ vehementer admodum damnant imaginariam illam Aſtrologiæ judiciariæ artem, quæ futuros eventus divinare contendit, præſertim eos, qui ab humana libertate a Deo conceſſa dependent. S. Ambroſius ait (*l.* 4. *Examer. c.* 4.) *Nonnulli nativitatum tentaverunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit unuſquiſque, qui natus ſit, cum hoc non ſolum vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſſibile pollicentibus.* S. Auguſtinus confitetur, ſe huic ſuperſtitioni addictum fuiſſe, cum ait (*l.* 4. *Confeſſ. c.* 3.) : *Ideo illos planetarios, quos mathematicos vocant, plane conſulere non deſiſtebam.* Illam aſtrologiam judiciariam pluribus in locis damnat; ait enim (*S. Aug. l.* 2. *de Doctr. Chriſt. c.* 22.) : *Ex illa notatione velle naſcentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error & magna dementia eſt . . . quare iſtæ opiniones, quibuſdam rerum ſignis humana præſumptione inſtitutis, ad eadem illa quaſi quædam cum Dæmonibus pacta & conventa referendæ ſunt.* Et ibidem c. 23. ait : *Omnes igitur artes hujuſmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & Dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.*

Idem S. Doctor, adhortans populum ſuum, pœnitentiam

tiam impoſuit publicam Chriſtiano, qui aliquo tempore judiciariam aſtrologiam exercuerat (*S. Aug. in Pſ. 61. in fine*) : „ Cum Mathematicus in populo monſtraretur ;
„ iſte ſeductus ab inimico , cum eſſet fidelis, diu ma-
„ thematicus fuit : ſeductus, ſeducens : deceptus, deci-
„ piens : illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt
„ contra Deum . . . modo, ſicut de illo credendum eſt,
„ horruit mendacium, & multorum hominum interi-
„ tum : ſe aliquando a Diabolo ſenſit illectum, conver-
„ titur ad Deum pœnitens. Putamus, fratres, de ma-
„ gno timore cordis accidiſſet ... Pœnitens eſt, non quæ-
„ rit, niſi ſolam miſericordiam ... ſciatis eum tamen,
„ fratres, olim pulſare ad Eccleſiam ante Paſcha. Ante
„ Paſcha enim cœpit petere ab Eccleſia Chriſti medici-
„ nam ; ſed quia talis eſt ars, in qua exercitatus erat,
„ quæ ſuſpecta eſſet de mendacio atque fallacia, dilatus
„ eſt, ne tentaret, & aliquando tamen admiſſus eſt, ne
„ periculoſius tentaretur. Orate pro illo Chriſtum, pror-
„ ſus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo
„ noſtro “.

S. Joannes Damaſcenus, qui magnam motionis aſtrorum ſcientiam habuiſſe videtur, qui in libris, ubi plenius de his rebus egit, irridet vanitatem eorum, qui ex ſiderum conſtitutione bonam malamque hominum fortunam conjicere præſumunt (*S. Joann. Damaſc. l. 2. orthodoxæ fidei c. 7. de luce, igne, &c.*) : „ Gentiles, *in-*
„ *quit*, per horum ſiderum, hoc eſt, Solis & Lunæ,
„ ortum & occubitum, atque colliſionem, res omnes no-
„ ſtras gubernari aſſerunt (in iis enim aſtrologia verſa-
„ tur) nos contra imbrem quidem & ſerenitatem, fri-
„ gus item, & calorem, humiditatem, & ſiccitatem,
„ ventos denique, atque alia hujuſmodi per ea ſignifica-
„ ri non imus inficias : quod autem actionibus noſtris ea
„ omen ullum importent, id vero pernegamus “.

Verum hic aſtrologiæ judiciariæ abuſus ita noxius viſus eſt etiam ſocietati civili, ut Imperatores Romani ejus exercitium gravibus ſub pœnis prohibuerint, ut videre licet lege *Artem*, & lege *Nemo*, Cod. de maleficiis & mathematicis : & lege *Mathematicos*, Cod. de Epiſcopali audientia.

Hæc plane ſufficiant ad oſtendendum, tum eos, qui per aſtrologiam judiciariam divinare contendunt, tum etiam eos, qui fidem adhibent vanis & ſceleratis illorum prædictionibus, magni criminis coram Deo reos eſſe.

Quæſt. 14. Divinatio, quæ fit per ſomnia, eſt ne licita ?

Reſp. Generaliter loquendo eſt illicita, & peccat quis fidem ſomniis adhibendo, aut iis utendo ad res futuras divinandas, quæ ab humana voluntate dependent : ſic enim legitur in Levitico cap. 9. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia.* Deuteronomii c. 18. *Non invenia-*

tur

tur in te, qui observet somnia. Ecclesiastici cap. 34. Multos errare fecerunt somnia.

Plurimis etiam Conciliis prohibentur: Concilium Ancyranum (can. 23.): „ Qui auguria, vel auspicia, sive „ somnia, vel divinationes quaslibet secundum morem „ gentilium observant, confessi, quinquennio pœnitentiam agant, secundum regulas antiquitus constitutas. „ Concilium Parisiense (6. an. 829. l. 3. c. 2. de diversorum malorum patratoribus) ait: Extant & alia perniciosissima mala, quæ ex ritu gentilium remansisse „ dubium, non est: ut sunt somniorum conjectores, quos „ divina lex irretractabiliter puniri jubet. Concilium „ Mediolanense (1. tit. de Magic. artibus) præcipit „ Episcopis, ut omnem divinationem ex lineamentorum „ corporis inspectione, ex sortibus, somniis, aliisque rebus quibus per dæmonum significationem incerta pro „ certis affirmantur, & hujus generis reliqua, per quæ „ curiosorum & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, coerceant & ejiciant.

Observandum tamen est, quatuor esse somniorum genera. Alia enim sunt, quorum Deus author est: & cum quis de his certus est, gravissimum esset peccatum eis fidem non præstare. Hoc autem rarissime contingit, & tunc Deus evidenter se eorum ostendit authorem.

Alia sunt naturalia, quæ a complexione seu temperamento proveniunt: quare ut ait sanctus Thomas (2. 2. q. 95. art. 6. in corp.): Propter hoc Medici dicunt esse intendendum somniis, ad cognoscendum interiores dispositiones. Alia sunt quæ dicuntur moralia, & producuntur ab inclinationibus, desideriis, & cogitationibus uniuscujusque. Alia demum sunt somnia diabolica.

S. Gregorius Magnus expensis diversis somniorum causis, concludit, iis quidem fidem non esse adhibendam, quandoquidem eorum author & causa plerumque sciri nequeunt (l. 8. mor in 7. c. Job. c. 13.). „ Exquirendum magnopere est, inquit, quot modis tangant animum imagines somniorum: aliquando namque somnia ventris „ plenitudine, vel inanitate, aliquando vero illusione, „ aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando re- „ velatione simul & cogitatione generantur. Sed duo „ quæ prima diximus, omnes experimento cognoscimus: „ subjuncta autem quatuor in Sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto „ hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens „ indicaret, dicens: Multos errare fecerunt somnia, „ & illusiones vanæ; vel certe, Non augurabimini, „ nec observabitis somnia. Quibus profecto verbis, cujus sint detestationis, ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul „ & illusione procederent, Salomon minime dixisset, „ Multas curas sequuntur somnia: Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, Joseph præ-

„ feren-

„ ferendum se fratribus per somnium non videret ; nec
„ Mariæ sponsum, ut ablato puero in Ægyptum fugeret,
„ Angelus admoneret. Rursum nisi aliquando somnia a
„ cogitatione simul, & revelatione procederent, nequa-
„ quam Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem dif-
„ ferens, a radice cogitationis inchoasset, dicens : *Tu
„ Rex cogitare cepisti in strato tuo, quid esset futurum
„ post hæc, & qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ
„ ventura sunt*. Sed nimirum cum somnia tot rerum
„ qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet,
„ quanto & ex quo impulsu veniant, facilius non elucet.
„ Sæpe namque malignus spiritus, his quos amore vitæ
„ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormien-
„ tibus promittit ; & quos formidare adversa considerat,
„ eis hæc durius somni imaginibus intentat, quatenus
„ indiscretam mentem diversa qualitate afficiat, eamque
„ aut spe sublevans, aut deprimens timore confundat.
„ Sæpe etiam Sanctorum corda afficere somniis nititur,
„ ut ab intentione cogitationis solidæ ad tempus saltem
„ momentumque devientur, quamvis ipsi protinus ani-
„ mum ab illusionis imagine discutiant ; sed hostis insi-
„ dians, qui eos vigilantes minime superat, eos dormien-
„ tes gravius impugnat ; quem tamen hæc maligne age-
„ re superna dispositio benigne permittit, ne in electo-
„ rum cordibus ipse saltem a passionis præmio somnus
„ vacet ".

Hæc sancti Gregorii expositio clare satis ostendit, somniis fidem non esse adhibendam ; quoniam ea plerumque a Dæmone proficiscuntur, & quoties ea iis casuales eventus cognoscere præsumimus, cum quibus nullam habent habitudinem naturalem, toties sceleratæ vanæque superstitioni ut plurimum nos exponimus. Unde S. Thomas ait (2. 2. *q*. 95. *art*. 65. *in corp*.) : *Si hujusmodi divinatio per somnia causetur ex revelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur, vel tacita, quia hujusmodi divinatio extenditur, ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita, & superstitiosa*.

Quæst. 15. Divinatio, quæ fit per auguria, est-ne prohibita?

Resp. Duplex auguriorum, seu auspiciorum genus est, quæ sumuntur ex avibus, aut aliis animalibus, aliisve rebus, sive animatis, sive non. Alia sunt naturalia, alia artificialia. Auguria naturalia pendent ab ordine, quem Deus statuit in natura, cujusmodi sunt, quæ sumunt Nautæ, aut Agricolæ, ex elementis, herbis, animalibus, &c. ad prædicendam aliquam procellam, tempus serenum, vel pluviam, uberem futuram messem, tempestatem fore humidam, aut siccam, & alia accidentia mere naturalia. Sic ex hirundinum adventu colligimus cessaturum frigus, & hyemem. Ita nautæ, cum volantes, & saltantes vident Delfinos, futuram præsagiunt

tem-

tempestatem. Ipsa etiam Sacra Scriptura, quædam talia insinuat auguria naturalia, cum ait (*Jerem. c. 8.*): *Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia, custodierunt tempus adventus sui*. Hæc augurorum genera, quibus prænoscimus eventus, qui non pendent a causis liberis, sed necessariis, licita sunt, modo omnis absit abusus: innituntur enim aliquo solido & naturali fundamento. Verum auguria artificialia, quæ pendent ex mero hominum arbitrio, sunt superstitiones gentilium; ut enim ait Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. *Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto*.

Hic divinandi modus involvit culpam, & graviorem, quando adhibetur ad ea prænuntianda, quæ ab humana pendent libertate; ad eaque ordinanda, quæ fieri, vel non fieri debent, secundum vanas observationes, quæ nullam habent connexionem naturalem cum illis rebus, quas earum ope sciri posse præsumunt. Unde Sacra Scriptura ait (*Ecclesiastici c. 33.*): *Auguria, mendacia, vanitas*. Levitici cap. 19. *Non augurabimini*. Deuteronomii cap. 18. *Non inveniatur in te qui observet auguria*. Hæc eadem divinatio reprobatur a S. Augustino, dum ait (*in serm. 241. de temp.*): *Qui prædictis aruspicibus, vel filacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit, & si jejunet, & si oret, & si jugiter ad Ecclesiam currat, & si largas eleemosynas faciat, & si corpusculum in omni afflictione suum cruciaverit, nihil ei proderit*: nisi etiam renuntiet sacrilegiis his: quia vanæ illæ impiæque observationes, omnem bonorum fructuum fructum destruunt. Unde Concilium Carthaginense (4. *Can.* 89.), cui interfuit S. Augustinus, ait: *Auguriis vel incantationibus servientem, a conventu Ecclesiæ separandum*. Et Gregorius Papa secundus vult (*in capitulari dato Martino Episcopo c. 8.*): *Ut somnia, & auguria, quæ juxta divina oracula vana sunt, non attendenda penitus doceantur*. Concilium Palentinum cap. 24. *Inhibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis attendat auguriis, aut in agendis secundum augurum consilia dirigatur*.

Denique Concilium Mediolanense, sub sancto Carolo (5. *Constitut. part.* 1. *c.* 10.) ait: „Pœnas sumant Episcoi „de iis omnibus, qui in itineris susceptione, aut cujusvis „rei institutione, vel progressu, dies, tempora & momen„ta observantes, quadrupedum voces, garritum avium, „aut volatum notantes, ex occursu etiam hominum, vel „pecudum suscipiendi operis felicitatem augurantur". Quę quidem omnes authoritates, multæque aliæ, quæ tum ex sanctis Patribus, tum ex Conciliis hic afferre possem, satis ostendunt, hæc auguria sine crimine exercerī minime posse; quæ tamen quotidie multi exercent Christiani, ne cogitando quidem, sed mira cæcitate in his rebus laborantes; neque enim frequentius aliud quid-

quam

quam videtur, quam Christianos his auguriis inhærere quæ Ecclesiæ authoritate & traditione damnata sunt. Quot enim reperias, qui gravem aliquem casum metuunt, si speculum fregerint, si vas sale plenum coram ipsis conciderit, si bubo in vicinia fuerit audita, si canis ante eorum portam noctu oblatraverit, si corvus supra eorum tecto crocitaverit? Denique innumera sunt hujusmodi auguria plane ridicula, & sine ullo fundamento, quibus tamen fides adhibetur. Quare Presbyteri strenue talem abusum extirpare deberent, qui paganis potius quam Christianis convenit; populumque sibi commissum docere, omnia hujusmodi auguria non vacare crimine, & esse Dæmonum inventa, qui his nugis eorum ignorantiam simul & simplicitatem graviter irrident. Videatur Bulla Sixti V. in fine hujus Tomi.

Quæst. 16. Quotuplex est vana observantia?

Resp. Triplex est. Prima dicitur ars notoria, altera observantia sanitatum, & postrema observantia eventuum, dierum, temporum & annorum. Ars notoria est medium chimericum, seu imaginarium ad acquirendas aliquas scientias per infusionem, & absque labore, servando quædam jejunia, recitando quasdam preces, exhibendo honorem aliquibus figuris, & alias observando cæremonias ridiculas, & inanes. Observantia sanitatum exercetur, cum adhibentur quædam verba, signa, aut vanæ cæremoniæ ad medendum morbis hominum, vel brutorum. Denique observatio eventuum vel occursuum dierum, temporum, & annorum, fit, quando superstitiose res hæ omnes, aut earum aliquæ observantur respectu effectuum, qui ab illis nullatenus dependent secundum ordinariam causarum naturalium dispositionem.

Quæst. 17. Ars notoria est-ne licita?

Resp. Ex Sanct. Thoma (2. 2. *quæst. 96. articul. 1. in corp.*): „ Ars notoria est illicita, & inefficax. Illicita „ quidem est, quia utitur quibusdam ad scientiam ac- „ quirendam, quæ non habent secundum se virtutem „ causandi scientiam, sicut inspectione quarundam figu- „ rarum, & prolatione quorumdam ignotorum verbo- „ rum, & aliis hujusmodi; & ideo hujusmodi ars non „ utitur his ut causis, sed ut signis: non autem ut signis „ divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Un- „ de relinquitur, quod sint supervacua signa, & per con- „ sequens pertinentia ad pacta quædam significationum „ cum dæmonibus placita atque fœderata. Et ideo ars „ notoria penitus est repudianda, & fugienda Christia- „ no, sicut & aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ supersti- „ tiones. Ut Augustinus dicit libro 2. de Doctrina Chri- „ stiana c. 23.

Quæst. 10. Observantia sanitatum est-ne semper peccaminosa?

Resp.

Resp. Ex eodem Angelico Doctore (*ib. art.* 2. *ad* 1.): „ Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effe- „ ctus producendos, ad quos putantur naturalem habere „ virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum; si ve- „ ro adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomi- „ na, vel aliæ quæcumque vanæ observationes, quas ma- „ nifestum est naturaliter efficaciam non habere, erit su- „ perstitiosum & illicitum ".

Quare generaliter loquendo, omnia media vana nullamque proportionem habentia, quibus nonnulli utuntur, ut sanitatem hominum, vel bestiarum procurent, aut ut mala quædam, pericula, vulnera, vel morbos ab iisdem repellant, superstitiosa sunt, & illicita: Unde Concilium Tolosanum (*anno* 1590. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 5.) ait: „ Quæ „ ignorantia simplicitateque hominum superstitiose depel- „ lendorum morborum, aliarumque rerum inanes obser- „ vationes temere irrepserunt, eas omnes frequenti ad- „ hortatione, adductisque rationibus, Confessarii, & Con- „ cionatores a populorum animis evellere, & ab iis de- „ clinari curabunt ".

Et in accurata Synodo Nonantulæ, ab Eminentissimo Cardinali de Angelis congregata (*anno* 1680. *c.* 3.), sic decernitur: „ Graviter injungimus sub gravissimis „ pœnis, nemini licere uti medicina, in qua adhi- „ bentur signa cum nominibus incognitis, sive pre- „ cibus, verbisque quamvis sacris, adjunctis etiam cru- „ cis signis: omnem denique medendi usum, qui „ non sit naturalis, & ex sua innata virtute, vim feren- „ dæ salutis non habeat. Interdicimus omnia hujus ge- „ neris, declarantes superstitiosa; & proinde unum- „ quemque teneri ad denunciandos eos, qui hæc exer- „ cent & docent. Et prohibita pariter sit lectio & reten- „ tio librorum de prædictis perniciosissimis artibus tra- „ ctantium ".

Quæst. 19. Observationes eventuum, dierum, temporum & annorum, sunt-ne prohibitæ?

Resp. Dicendum cum sancto Augustino (*l.* 10. *de Civitat. Dei*, *c.* 11.), *Totum hoc ad dæmones pertinet, ludificatores animarum sibimet subditarum, & volupta-ria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes*. Quare sancti Patres unanimiter hæc superstitionum genera damnant authoritate Apostoli.

Sanctus Joannes Chrysostomus ait (*in Oratione vel hom. in eos qui novilun. observ.*): Non audis Apo- „ stolum dicentem: *Dies observatis, & menses, & tem-* „ *pora, & annos; metuo vobis, ne frustra in vobis* „ *laboraverim*. Nempe extremæ hoc est dementiæ, pro- „ pter unum diem, si auspicatus fuerit, per universum „ hoc expectare annum: neque amentiæ solum, sed „ diabolicæ cujusdam efficientiæ indicium est, non pro- „ prio studio & alacritati, sed quibusdam dierum circui- „ tionibus vitam nostram commendare. Dies enim bo-

„ nus & malus eſt, non ſua quadam & propria natura (nihil enim dies a die differt) ſed noſtra vel diligentia, vel „ ignavia. Si juſtitiam feceris, bonus tibi dies erit: ſi peccatum deſignaveris, malus & ſupplicii plenus „.

Sanctus Ambroſius ait (*in c. 4. Epiſt. ad Galat.*): „ Dies obſervant qui dicunt, ut puta, craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari. Et ſic ſolent magis decipi: hi autem „ colunt menſes, qui curſus lunæ perſcrutantur, dicentes, ut puta: ſeptima luna inſtrumenta confici non debent: nona iterum luna ſervum emptum, ut puta, domum duci non oportet. Et per hæc facilius ſolent adverſa provenire; tempora vero ſic obſervant, cum dicunt: hodie veris initium eſt, feſtivitas eſt, poſt cras Vulcanalia ſunt. Et talia iterum ajunt; poſterum eſt, domum egredi non licet.... Si Deus ex toto corde diligatur, ipſo propitio nulla debet eſſe formido, neque ſuſpicio harum rerum; proſpere enim cedere poteſt, quidquid ſimpliciter ſub Dei devotione fit „.

Minime dubium eſt, quin illi in hanc ſuperſtitioſam dierum obſervationem incidant, qui credunt, uſque ad natalitia pluvioſum fore tempus, ubi Dominica poſt quatuor tempora pluerit. Qui prædicunt quod futurum ſit tempus, aut qualis futura ſit anni tempeſtas, ſecundum diem Converſionis ſancti Pauli, ſancti Medardi, aut ſancti Valentini, ſecundum ſcilicet, quod illi dies pluvioſi fuerint, aut ventoſi. Qui nuptias ægre volunt inire die veneris, aut die lunæ, aut iter maritimum ſuſcipere his diebus, & ſimilia. Ab his autem omnibus ſuperſtitionibus eo magis abhorrere debet Chriſtianus, quod, ut ait Nicolaus Papa I. (*ad conſulta Bulgarorum, n.* 35.) *Diei & horæ obſervationes atque auguria, pompæ ac operationes Diaboli ſunt, quibus, Deo gratias, jam in Baptiſmate abrenuntiaſtis, & hæc cum vetere homine, & actibus ejus, quando novum induiſtis, omnino depoſuiſtis.*

„ Non itaque dies obſervamus, & annos, & menſes, „ & tempora, *inquit Sanctus Auguſtinus* (*Ep.* 119. *ad Jan. n.* 5.), ne audiamus ab Apoſtolo; *Timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis*: eos enim inculpat, qui dicunt, non proficiſcar, quia poſterus dies eſt, aut quia luna ſic fertur; vel proficiſcar, ut proſpera cedant, quia ita ſe habet poſitio ſiderum, non agam hoc menſe commercium, quia illa ſtella mihi agit menſem: vel agam, quia ſuſcipit menſem: non plantem hoc anno vineam, quia biſſextus eſt. Non autem quiſquam ſapiens arbitretur obſervatores temporum reprehendendos, qui dicunt, non proficiſcar hodie, quia tempeſtas exorta eſt: aut, non navigem, quia adhuc ſunt hibernæ reliquiæ; aut tempus ſeminandi eſt, quia imbribus autumnalibus terra ſatiata eſt: vel ſi qui forte alii naturales effectus circa motum aeris & humoribus ad variandas temporum qualita-

„ tes

„ tes in fiderum ordinatiſſima converſione notati ſunt, „ de quibus dictum eſt, cum conderentur, Et ſint in „ ſignis, & temporibus, & diebus, & in annis “.

In obſervationes vero ſuperſtitioſas ſevere invehitur Concilium Provinciale S. Severinæ, a Franciſco Antonio Sanctorio congregatum (*an.* 1591. *tit. de ſuperſtition.*), his verbis: *Superſtitioſas & vanas populi obſervationes, quæcumque ſint, a ſubditis ſuis tamquam pernicioſiſſima mala, penitus tollendas curabunt Epiſcopi, gravi pœna ex Sacrorum Canonum Decretis propoſita, contra reſipiſcere nolentes procedant.*

Varias hujuſcemodi ſuperſtitiones, vanaſque obſervationes refert aliud ejuſdem Civitatis Concilium, paulo poſt ab Alphonſo Piſano Archiepiſcopo convocatum *an.* 1597. *de ſuperſtit.*); „ Superſtitiones ethnicæ infidelitatis reliquias, & ſemina, in quibus divina majeſtas graviter „ læditur, fidei violatur integritas, & animabus peſtis, „ atque exitium infertur, ab agro Domini, qui noſtræ „ curæ commiſſus eſt, cum ipſius adjutorio evellere, „ atque extirpare cupientes; præcipimus, ut Parochi „ admoneant populos ſuos, ne quiſpiam, ſeu vir, ſeu „ mulier, in vigilia, vel die feſto Nativitatis Sancti „ Joannis Baptiſtæ, vel Sanctorum Apoſtolorum Petri „ & Pauli, plumbum, ſeu ceram liquefactam in aquam „ infundere præſumat, ex cujus tractu, formiſve, mulierculæ præſertim diabolica perſuaſione deceptæ, audent futura divinare; non herbarum faſcem infantis „ inſtar indutum baptizet, tenenteſque compatres, & „ commatres appellet; proindeque cruſtula, aliaque xenia mittat ad amicos: non cinaram noctu ſub dio relictam, an bene, maleve floruerit, exploret: non ligulas, aut res alias ex vaſe depromat, opprobria, laudeſve canens: non annulo in ore retento, quid quiſque loquatur, obſervet, unde auguria, & vaticinationes elicere præſumat; non humanam imaginem perſonatam, ac veſtibus muliebribus indutam componat, „ apud eam ethnico more cantando, meſſoribus ad herbas coram ea metendas accerſitis, aliave his ſimilia „ deterioraque, ſacris illis, aut aliis diebus committat: „ herbas præterea in die Aſcenſionis Domini, quibus „ ſuperſtitioſe utantur mulierculæ, ne colligant: nec in „ die ſancto Paſchæ ad fluentes aquas accedant, quas „ prætergreſſæ, aut in eis ablutæ, morbos quoſdam a ſe „ eo anno abdicaſſe opinantur “.

Illuſtris Epiſcopus Amerinus Antonius Maria Gratianus, ſtatuit in Synodo (*Synodo Amerina*, *an.* 1595. *c.* 962. 963. 967. & 968.), ut Parochi, & Confeſſarii nihil omittant ad hujuſcemodi ſuperſtitiones eliminandas: „ In omni ſuperſtitione tollenda, abolendaque, *inquit*, ſive eam probitas, & ſimplicitas, ſive fraus, & „ dolus invexerit, magnopere excubare Parochorum curam volumus. Ea enim veluti tabes veram Religio-

„ nem depravat, contaminatque; ut quantum in hac co-
„ lenda, stabiliendaque studii ponimus, tantum in illa
„ auferenda, extirpandaque, diligentiæ impendendum ef-
„ se videatur. Itaque mandamus Parochis, ut animum
„ advertant, & si quem cultum moremque superstitione
„ aliqua imbutum, aut omnino ullum superstitionis ge-
„ nus in suorum mentibus insedisse intelligent, rem ad
„ nos præscribant, deferantque; qui, ut ei opportune oc-
„ curratur, operam dabimus.

„ Non Parochi solum in hanc curam intendant, om-
„ nes ex hominum animis superstitionis radices evellen-
„ di; sed Confessores quoque eandem cogitationem susci-
„ piant, exquirantque a pœnitentibus, an remedia vale-
„ tudini vulneribusve ulla adhibuerint, adhibendique aliis
„ authores fuerint, quæ non a medicorum arte, sed a
„ superstitione aliqua petierint: tum præterea de tempo-
„ rum, locorum, somniorum, aliorumque hujusmodi
„ observatione interrogent, & quos superstitionibus his
„ teneri intellexerint, graviter monitos, objurgatosque
„ ab ea pravitate, atque errore avertere, ac deterrere
„ conentur; morbos prius quidem Sacramentorum perce-
„ ptione, ac divinæ opis imploratione, deinde medico-
„ rum consiliis, remediisque ab eorum arte petitis, do-
„ ceant esse curandos.

„ Quamobrem inanes, & aniles spes abjiciant, qui pel-
„ lendis febribus, quod vini sacrificio superfuit, ex iis-
„ dem urceolis exhibendum offerunt ægro. Qui erisipila
„ laboranti, Missarum librum apertum, ac rursum clau-
„ sum imponunt. Qui sistendo sanguini herbas lapidesve,
„ certis adhibitis carminibus, admovent. Qui capitis do-
„ lore affectis certas ligaturas, certa signa, notasque, &
„ nefanda carmina, incantamentaque, quæ nisi a malis
„ dæmonibus non mutuantur, adhibent. Quas omnes su-
„ perstitiones nos damnamus, & qui iis utuntur, casti-
„ gari a Parochis, Confessoribusque, ac vehementer objur-
„ gari præcipimus.

„ Quidam in matrimoniis jungendis cælestium signo-
„ rum, ac syderum motus, atque conjunctiones captant,
„ ex iisque de tota re statuunt. Alii quo fascinationum
„ pericula declinent, tempus coeundi prævertunt. Alii
„ maleficiis, quibus peti se verentur, contrariis malefi-
„ ciis occurrere student, & sceleri scelere medentur.
„ Quam superstitiosarum observationum vanitatem nos pe-
„ nitus rejicimus, & matrimonia cum rite, ex Tridenti-
„ ni Concilii præscripto, iniri, jungique præcipimus:
„ tum si qua conjugibus fraus damnatis ab artibus facta
„ sit, eam non paribus artibus, sed divina ope, divino-
„ rumque Sacramentorum perceptione, discuti, curarique".

Quæst. 10. Quænam tradi possunt regulæ ad cogno-
scendas vanas observationes, & alias fere infinitas super-
stitiones?

Resp. Præcipua regula est ad has superstitiones discer-
nen-

nendas, quam tradit Concilium Mechlinense (*an.* 1607. *tit.* 11. *de superstit. c.* 3.), dum ait: *Doceat superstitiosum esse expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex institutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Ecclesiæ producere potest.* Et ita superstitiosum est credere, pueros, qui nascuntur cum pellicula quadam, quæ caput operit, quæque vulgo velum vocatur, fore felices; unde per proverbium dicitur, natus est velatus; aut sibi fingere, si tredecim ad mensam sedeant, unum de numero eo anno moriturum: quoniam quidem nec velum illud, nec numerus decimus tertius, naturalem ullam habent proportionem, seu analogiam, cum infantis felicitate, aut hominis morte.

Secunda regula est, quando id, quod fit, circumstantiam aliquam involvit, vanam, inutilem, & ridiculam, V. G. si credatur, quod quædam herbæ collectæ summo mane die Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, virtutem habeant peculiarem: aut si quis post morbum e domo die veneris egrediatur, non relapsurum in eumdem morbum; aut, ut habetur in Constitutionibus, & Instructionibus Synodalibus Sancti Francisci Salesii, & Illustrissimi Domini Joannis d'Aranton Episcopi Genevensis, par. 10. tit. 3. c. 11. n. 3. cum omnis verborum vis, & efficacia, etiam sanctissimorum, in aliqua vana, & inutili circumstantia constituitur, V. G. si quis credat ad curandum ægrotum, ter Orationem Dominicam ante Solis ortum esse recitandam.

Unde etiam Nicolaus postea Cardinalis Radulovicus, in Synodo Theatina (*an.* 1661. *de Pœn. n.* 16.) sic graviter curam animarum habentes monet; „ Confessarios „ omnes, ac præsertim Parochos, pro amore, quem Deo, „ & proximo debent, enixe hortamur, ut studio, ac di„ ligentia nostram diœcesim a superstitionis vitio pur„ gent. Ne Parochi, cæterique Confessarii in judicio se„ rendo de operibus superstitiosis fallantur: quoties pre„ ces certo numero, in quo spes non in Deo posita fue„ rit, a pœnitentibus prolatas, vel interjecto crucis si„ gno cum ignotis characteribus descriptas, & quod ma„ ximum superstitionis indicium est, a communi Eccle„ siæ ritu abhorrere deprehenderint, eas pro suspectis „ habeant, ac rejiciendas esse consulant ".

Eodem plane modo fusius differens Cardinalis Hieronymus Columna, in Synodo Bononiensi (*an.* 1634. *p.* 2. *c.* 2.): Confessarii, *inquit*, omni conatu conten„ dant, ut muliebria quædam plena futilitatis, sum„ mæque levitatis inventa, necnon superstitiosas quasdam, „ dementesque observationes omnino tollant; sæpius e„ nim, quanto nostro cum dolore! intelleximus accidis„ se, ut cum infantulos suos maleficiis infectos suspi„ cantur parentes, vestimenta eorum fuste contundant, „ ignique ad ebulliendum in vas conjecta adjiciant, ina-

„ ni spe ducti, futurum, ut sic ii deinde convalescant.
„ Alios ex quadrupedum vocibus, aviumque garritu,
„ ac volatu, sive hominum, pecudumque occursus, fe-
„ lices, aut miseros operis suscipiendi eventus sibi auspica-
„ ri: confugere alios inflicto vulnere aliquo tabescentes,
„ sive adversa valetudine laborantes, ad levissimarum ani-
„ cularum deliramenta, quæ certis verbis, amuletis, un-
„ ctionibus, inanibusque nugis utuntur ad sanitatem indu-
„ cendam, vel potius interitum (Deo sic juste permit-
„ tente) miseram interim animarum suarum jacturam fa-
„ cientes ex superstitiosis hisce dæmonum circumventio-
„ nibus, ac fallaciis. Quasi vero inanibus verbis plus
„ tribuendum sit, quam medicorum, & medicamento-
„ rum virtuti, atque adeo ipsius Dei omnipotentiæ. Quod
„ & in equorum, boum, aliorumque id genus anima-
„ lium morbis jam pridem factitatum agnovimus.
„ Nos igitur in hujusmodi pravo abusu, gravique, ac
„ perniciosa levitate, diabolicam perspicientes industriam,
„ ut pestifero hoc morbo laborantes ad sanitatem revo-
„ centur, anilesque superstitiones hujusmodi, ex nostro-
„ rum populorum animis stirpitus evellantur; utque in
„ similibus casibus ad eum, a quo bona cuncta proce-
„ dunt, statim confugiant peroptantes: omnia incanta-
„ menta, diabolicasque machinationes ad curanda corpo-
„ ra, sive hominum, sive animalium, adhiberi consue-
„ tas, execrantes, adjiciendam Decretis hisce nostris du-
„ ximus religiosissimam Sixti V. Constitutionem, quo sic
„ facilius scelesti homines tantæ impietati addicti, gra-
„ vissimarum pęnarum timore perterriti, a tam nefariis
„ sceleribus avocentur.
„ Cui quidem insistentes, illos qui magicorum carmi-
„ num potentia tempestates inducunt, elementa concu-
„ tiunt, innocentes opprimunt, ac falsis mortuorum res-
„ ponsis, ad extremam perniciem inimicos redigunt:
„ etiam mulieres, quæ re quacumque comestibilia, aut
„ alia quavis ratione aliquem fascinaverint, vel fascina-
„ tum diabolicis artibus sanaverint, anathematis mucro-
„ ne percutimus, maleficosque seu veneficos utriusque
„ sexus, qui matrimonii effectum impedire satanicis de-
„ ceptionibus, poculis, ac pharmacis nituntur, efficiunt-
„ que, ut sponsis coire nequeuntibus, maritalia quando-
„ que conjugia sint incerta, eidem sententiæ, & aliis le-
„ galibus pęnis addicimus, necnon quoscumque perditis-
„ simorum id genus hominum cognitum habentes nobis
„ vero, aut R. P. Inquisitori non detegentes ".
Concilium Provinciale Beneventanum a Cardinali Jaco-
bo Sabello congregatum (*an.* 1567. *c.* 1.), decernit, ut
„ Episcopi, juxta canonicas sententias, puniant & coer-
„ ceant, & e cętu fidelium ejiciant, divinationem pro-
„ mittentes; itidemque in eos animadvertant, qui se ar-
„ canis quibusdam morbos abigere & inducere, & horum
„ similia facere posse profitentur: parique pęna afficiant,
„ qui

„ qui eos quacumque in re hujuſmodi conſuluerint. Eos „ item, qui furtorum, theſaurorumque abſconditorum, „ & hujus generis rerum, quibus curioſi, & imperiti de„ cipiuntur, commonſtrationem promittunt, omnino ex„ pellant “.

Concilium Provinciale Turritanum in Sardinia, ab Archiepiſcopo Jacobo Paſſamar congregatum (*de ſuperſtit. an.* 1633.), ſic ſtatuit: „ Ut omnis ſuperſtitionis ſpecies „ expellatur, Epiſcopi maxime curare debent, ut ſacri„ legia, pocula amatoria, & ligaturæ, quibus viri fœ„ minæque ligantur, ac maleficis nonnumquam artibus „ morbi in eorum corpora inducuntur, omnino eliminen„ tur: quod fiet, ſi prudentes Confeſſarii, quoties pœni„ tentes hujuſmodi flagitiis irretitos audierint, niſi pœni„ tentiæ teſtimonium accedat, eis abſolutionis beneficium „ non contulerint, licet magis expedire videatur, ut ho„ rum delictorum, uti graviorum, abſolutio Epiſcopo re„ ſervetur. Abſtineant omnes utriuſque ſexus ab ea præ„ ſertim ſuperſtitionis ſpecie, qua oratione, & brevibus „ ſcriptis nominibus, aut ſignis, ad morborum curatio„ nem, ſeu præſervationem utuntur; quibus Confeſſarii „ abſolutionis beneficium non impendant; neque eis, qui „ vulnera, & aliquas plagas, certis adhibitis ſignis, cer„ tiſque verbis, ac nominibus, præfinito quodam pre„ cum, ac benedictionum numero, linteolis curant, in„ conſulto Epiſcopo, cujus eſt, quid hac in re provide„ re oporteat “.

Rectores, & Sacerdotes, qui ſacris Confeſſionibus audiendis ſunt deſtinati, ſedulo incumbant in omni ſuperſtitionum genere extirpando, ac in primis curent, ne in rerum agendarum principio, auſpiciorum, vel auguriorum quidquam, ſeu ad aliquod divinandum, vel inveniendum, contra Dei verum religionis cultum, obſervetur. Quod ſi ſuperſtitionis genus aliquod in ſuæ Parochiæ hominibus, animarum curatores ineſſe repererint, quamprimum deferant ad Epiſcopum, & ad tribunal SS. Inquiſitionis, ut ejuſmodi malo, opportuno remedio, occurrere valeat.

Cardinalis magni nominis, Joannes Baptiſta Lenius, in Synodo Ferrarienſi (*an.* 1612. *de ſuperſtit.*) ita decernit: „ Maleficos, qui ſuis artibus corpora, menteſque „ hominum, morbis, aut inſania levare, aut opprimere „ ſe poſſe falſo profitentur: eos item, qui ex corporis li„ neamentis, ac figuris, aliiſque rebus quibuſcumque, „ dæmonum inſtructu ſe futura enunciare, abditos the„ ſauros invenire poſſe, dementiſſima temeritate dictitant: „ qui etiam judiciariam aſtrologiam exercent, cujus uſum „ graviſſima lege Sixtus V. vetuit, atque ex ſyderum „ converſionibus, ac inſpectione, liberas hominum actio„ nes, eventuſque incertos divinant: hos omnes univer„ ſæ diœceſis noſtræ finibus ſic arcemus, ut nullibi con„ ſiſtere velimus.

„ Qui, ut sancta nuptiarum fędera frangant, vel impe-
„ diant, veneficiis vel fascinationibus agunt, quive, ad
„ veneficia ipsa tollenda, ex aliis rursum veneficiis, su-
„ perstitionibusque remedia conquirunt, & comparant.

„ Prohibemus, ac vetamus, ne quis ea nocte, quæ diem
„ Divi Joannis Baptistæ nativitati sacrum præit, filices,
„ filicumque semina colligat, herbas cujusvis generis le-
„ gat, succidat, evellat; earumque, vel aliarum rerum se-
„ mina terræ mandet: neve pannos lineos, aut laneos
„ nocturno aeri, aut rori excipiendo exponat, inani su-
„ perstitione ductus, fore, ut tineæ, aliaque animalcula
„ ea ne attingant, aut corrodant. Qui tale quid in po-
„ sterum admiserint, de iis supplicium arbitratu nostro,
„ pro gravitate culpæ, sumemus.

„ Caveant Parochi, ne simplices feminæ, aut viri, in
„ defunctorum manibus, aut feretro, superstitionis gratia
„ quidquam deponant, quales sunt cordulæ quædam fre-
„ quentibus nodis aptatæ, & distinctæ, aut ejusdem ge-
„ neris alia, quibus imprudentes ad inanes cultus, & su-
„ perstitiones, a vera pietate deflectunt ".

Denique superstitiosum est, cum adhibentur quædam preces, aut aliæ res sacræ ad aliquem vanum & ridiculum effectum, V. G. ad annulum circumagendum: aut cum obscura quædam, & ignota verba usurpantur, seu etiam historiæ quædam apocryphæ, seu falsæ, minimeque ab Ecclesia comprobatæ: tunc enim jure licet credere, hæc omnia referri ad pactum quoddam expressum, aut tacitum cum dæmone. *Intendimus*, inquit censura Facultatis Theologiæ Parisiensis 19. Septembris 1398. ar. 3. *pactum esse implicitum in omni superstitiosa observatione, cujus effectus non debet a Deo, vel a natura rationabiliter expectari*, ut ait S. Eligius (*serm. ad omnem plebem.*). *Qui hæc observat, ex parte paganus dignoscitur*.

Variæ hujusmodi superstitiones damnatæ reperiuntur in Concilio Provinciali Neapolitano, a S. Sede Apostolica confirmato (*anno* 1567. *c.* 8.), his verbis: „ Cum Scri-
„ ptura dicat: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum,*
„ *& sciemus, quia Dii estis vos*; nemo est sanæ fi-
„ dei, qui dubitare possit, ea quæ a libera hominum
„ pendent voluntate, & divina ordinatione, a nullo,
„ nisi ex divina revelatione, sciri posse. Proinde ridi-
„ culas divinationes, juxta Sanctorum Patrum Decreta,
„ condemnantes, districte præcipimus, ut interdicatur
„ Ægyptiis mulieribus, quas vulgo Cingaras appel-
„ lant, aliisque meris chryromantiæ nugis deditis, ut
„ futura ex quibusdam manuum lineamentis ne divi-
„ nent, ac prædicant. Similiter omnes aliæ divinatio-
„ nes, tam Astrologia, quam Geomantia, & Ydro-
„ mantia, & aliæ, quæ diabolicis inventis fiunt, ex-
„ plodantur.

„ Operæ pretium sane erit, Christi fideles adhortari,

„ ut ab illa consuetudine, vel potius malæ consuetudi-
„ nis corruptela abhorreant, & recedant, qua post ali-
„ cujus suorum obitum, templum Dei per annum, vel
„ aliquot menses non adeunt, prohibente Apostolo, *ut*
„ *non contristemur, sicut & cæteri, qui spem non ha-*
„ *bent*; quin potius dent operam, ut quisque intelligat,
„ & Deo optimo maximo gratius, & defunctorum ani-
„ mabus utilius fore, si templa frequentarint, sacrisque
„ Officiis interfuerint, preces ad Deum pro eis funden-
„ do; ut pœnis pro peccatis debitis expiatæ, ad cælum e-
„ volent.

„ Admoneant præterea Parochi plebes sibi a Deo com-
„ missas, ut omnem superstitiosum cultum magnopere
„ declinent, cujusmodi esse solent, quæ non sine dolo-
„ re accipimus; & quo diligentius caveantur, breviter
„ attingenda putavimus: Venam die Ascensionis, vel die
„ Sancti Joannis Baptistæ incidere, pedes abluere, in mari
„ natare: carduos, herbarumque semina, nocte, quæ diem
„ Divo Joanni sacrum anteit, colligere: panem scriptum
„ alteri dare; ovum Annunciationis, vel Ascensionis,
„ vel sextæ feriæ majoris hebdomadæ reservare: reputa-
„ re omnino verum, infantium nimirum primos calceos
„ necessario ex lupina pelle esse conficiendos.

„ Cum aberraverit bestia, nemo astra adjuret, sibique
„ persuadeat, eo in loco illam esse, versus quem movetur
„ astrum: sponsorum umbellam a pueris tantum, qui pa-
„ rentes superstites habeant, sustineri oportere: jubere
„ sponsam, cum sponsi domum primo ingreditur, ovum
„ pede frangere, vel in eam frumentum projicere: alia
„ Ecclesiæ janua egredi oportere, quam qua ingressi fue-
„ rint, maxima est superstitio: Parentes etiam sponsis su-
„ per pannum, vel tapetum in templo, ut fieri solet,
„ benedicentes, in benedictionibus piis verbis utantur,
„ sublato quovis abusu, & superstitione.

„ Obstetrices, dum sub puerperæ lectum superstitiosa
„ quædam verba proferunt, sunt etiam superstitiosæ ha-
„ bendæ: ceram e sigillis sepulcri, quod in Ecclesiis ad
„ memoriam sepulturæ Christi redemptoris singulis annis
„ erigitur, & paratur, in superstitiosum quendam cultum
„ conservare, superstitio quoque est haud parva. Quæ o-
„ mnia vulgari sermone conscripta Parochis tradantur,
„ populo frequentius in Ecclesiis explicanda". Videatur Bulla Gregorii XV. contra maleficos, & sortilegos, in fine hujus Tomi 6.

Quæst. 21. Quid est Sacrilegium?

Resp. Ex S. Hieronymo (*in com. in ep. ad Rom. c.* 2.), *Sacrilegium est, quod proprie in Deum committitur, quasi sacrosancti violatio.*

Quæst. 22. Quotuplex est Sacrilegium?

Resp. Triplex distinguitur ex S. Thoma (2. 2. *q.* 99. *art.* 3. *in corp.*); ait enim: „ Secundum diversam rationem san-
„ ctitatis rerum sacrarum, quibus reverentia exhibetur,

 „ ne-

„ necesse est, quod sacrilegii species distinguantur; tanto „ enim sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam „ peccatur, majorem obtinet sanctitatem: attribuitur au- „ tem sanctitas & personis sacris, id est divino cultui „ dedicatis, & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sa- „ cris“. Hinc triplex sacrilegii genus.

Quæst. 23. Quænam sunt sacrilegia, quæ committi possunt contra personas sacras?

Resp. Tripliciter committi possunt. Primo, *Si quis*, ut dicitur in Canone (*Can. Si quis suadente*, 17. *q.* 4.), *suadente diabolo, hujus sacrilegii vitium, vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat*. Secundo, cum impudicitiæ crimen cum persona sacris ordinibus initiata, aut religiosum Ordinem professa committitur; tum etiam, cum hæ personæ cogitatione, vel opere castitatem violant, quæ quidem sacrilegia ita detestata est Ecclesia, ut Concilium Triburiense relatum in Canone, dicat (*Can. Impudicas*, 27. *q.* 4.): „ Impudi- „ cas detestabilesque personas Monachorum, atque Mo- „ nacharum, quæ objecto proposito sanctitatis illicita, at- „ que sacrilega contagione se miscuerint, & in abruptum „ conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis comple- „ xibus libere filios procreaverint; a Monasteriorum cœtu, „ Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse manda- „ mus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum faci- „ nus lamentatione continua deflentes, purificatorio pos- „ sint igne penitudinis decoqui, ut eis vel ad mortem, „ solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam „ possit subveniri“. Denique hoc sacrilegium incurritur, quoties contra dispositionem Sacrorum Canonum, Clerici & Ecclesiastici viri ad tribunalia sæcularia pro rebus spiritualibus trahuntur.

Quæst. 24. Quænam sunt sacrilegia, quæ committuntur circa loca sacra?

Resp. Actiones omnes, quæ specialiter adversantur divino cultui, propter quem loci sacri destinantur, constituunt hanc secundam sacrilegii speciem; ut cum committitur homicidium, aut fit notabilis humani sanguinis effusio in Ecclesia, vel cœmeteriis, ut dicitur in Canone (*Can. Ecclesiis, de consecr. dist.* 1.), „ Ecclesiis semel „ Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, „ nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut „ cujusque semine pollutæ fuerint“; pollutione scilicet voluntaria, seu fornicatione, aut adulterio, ut habetur in cap. *Proposuisti*, de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, ut ait Sanctus Antoninus part. 3. tit. 12. c. 6. §. 4. quem uberius retulimus tract. 5. de sacrificio Missæ, tomo 3. cap. 7.

Similiter locus sacer polluitur, & sacrilegium committitur, quando in eo sepelitur non baptizatus, hæreticus, aut excommunicatus; ut dicitur in Canone his ver-

verbis (*Cap. Consuluisti de consecr. Ecclesiæ, vel Altar.*) *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt*. Cum etiam certum sit, quod si non baptizatus, hæreticus, vel excommunicatus sepeliatur in Ecclesia, vel cœmeterio, hujusmodi loca profanantur, ut dicitur in Canone (*Can. Ecclesiis, de consecr. dist.* 1.): *Ecclesiam, in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare; sed jactari foras, & mundari oportet*: sequitur, committi sacrilegium, quoties hujusmodi corpora ibidem humari contingit: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro*, ut dicitur in Canone, *Quisquis*, 17. q. 4.

Veneratio debita sacris locis minuitur, cum in Ecclesia ea fiunt, quæ fideles a cultu Divino, & orationis attentione distrahunt; unde in præclara Synodo Neapolitana, ab Eminentissimo quondam Cardinali Caracciolo in lucem edita (*an.* 1680. *de Festis, & Ecclesiarum veneratione, Decreto* 1.), sic statuitur: „ In Beati Pii V. Con„ stitutione, quam novissime confirmavit SS. D. N. In„ nocentius XI. acriter condemnatur pauperum mendican„ tium per Ecclesias excurrentium abusus, qui adeo excre„ vit hac tempestate, ut cesserit in maximam sacrorum per„ turbationem, animarumque detrimentum. Nos idcirco, „ ut tam salubria præcepta, omnibus Ecclesiarum Præsiden„ tibus, sub gravibus pœnis, etiam Regularibus injuncta, „ debitæ executioni demandentur; districte statuimus, ut „ nullus audeat ea transgredi sub mendicato prætextu de„ suetudinis, aut consuetudinis in contrarium.

„ Ut vero tam sanctum præceptum executioni facilius „ mandetur, valde expediens foret, ut fideles ipsi, dum in „ Ecclesiis orant, aut sacris intersunt, constanter tales elee„ mosynas denegarent, easque opportunius reservarent elar„ giendas ad Ecclesiæ fores. Si enim religiose arcentur pau„ peres ab Ecclesiis, ne divina perturbent; atque malum „ reputatur eleemosynas emendicato exposcere in loco sa„ cro; pium etiam credendum est hanc scandali occasionem „ amovere; nam, ut monuit Nicolaus Papa “: pietatis causa operari impietas non debet. *Et ut D. Gregorius in proposita materia ait*: Aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere; *Aut quod idem fere est, peccati occasionem fovere*. Videatur epistola, jussu Summi Pontificis Clementis XI. missa ad Episcopos in fine Tomi 6.

Quæst. 25. Quænam sunt peccata, quæ committi possunt circa res sacras?

Resp. Ex Divo Thoma (2. 2. *q.* 99. *art.* 3. *in corp.*): „ Tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras commit„ titur, diversos habet gradus, secundum differentiam re„ rum sacrarum, inter quas summum locum obtinent ipsa „ sacramenta, quibus homo sanctificatur: quorum præci-

 „ puum

„ puum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ip-
„ sum Christum: & ideo sacrilegium, quod contra hoc
„ Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia.
„ Post sacramenta autem secundum locum tenent vasa con-
„ secrata ad sacramentorum susceptionem, & ipsæ imagines
„ sacræ & Reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo
„ ipsæ personæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur,
„ deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem mini-
„ strorum, sive sint mobilia, sive immobilia: quicumque
„ autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen
„ sacrilegii incurrit".

Reus etiam efficitur hujusmodi criminis, qui Scripturæ sacræ verbis abutitur: sic enim legitur in Concilio Tridentino (*Sess.* 4. *in Decreto, de editione, & usu sacrorum librorum*): „Post hæc temeritatem illam reprimere volens,
„ qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur ver-
„ ba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, & ad scurrilia, scili-
„ cet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, super-
„ stitiones impias, & diabolicas, incantationes, divina-
„ tiones, sortes, libellos etiam famosos: mandat, & præ-
„ cipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam, & con-
„ temptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba
„ Scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare, ut
„ omnes hujus generis homines temeratores, & violatores
„ Verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coer-
„ ceantur".

Ipse etiam Divus Augustinus declarat, quam sit grave crimen profanantium sacræ Scripturæ verba, cum ait (*Can. Interrog.* 1. *q.* 1.): „Quid vobis plus esse videtur, Ver-
„ bum Dei, an Corpus Christi? Si verum vultis respon-
„ dere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus
„ Verbum Dei, quam Corpus Christi".

Quæst. 26. Quid est impietas?

Resp. Cum per pietatem exhibeamus Deo omnia officia, quæ tenemur exhibere Patri, Domino, & Deo nostro; sic quælibet injuria illata Deo, quæ violat honorem, & venerationem illi debitam, dici potest impietas. Verum ut plurimum usurpari solet impietatis nomen paulo strictius, & in hoc sensu loquitur sanctus Gregorius, dum ait (*moral. l.* 25. *in* 14. *cap. Job. c.* 10.): *Impius vero proprie dicitur, qui a Religionis pietate separatur:* vel ille dicitur impius, qui nullam habet Religionem, qui cælestia nullatenus sapit, qui inhiat tantum terrenis rebus, qui contemnit vitam ducere Christianam, qui passionum impetum & libidinem sequitur, & gloriatur in rebus pessimis. De his loquitur S. Gregorius, dum ait (*mor. l.* 10. *in* 11. *cap. Job. c.* 13.):
„ Oculi ergo impiorum, intentiones sunt in eis carna-
„ lium desideriorum. Qui idcirco deficiunt, quia æter-
„ na negligunt, & sola semper transitoria præstolan-
„ tur: adipisci quippe terrenam gloriam cogitant, mul-
„ tiplicari rebus temporalibus exoptant; ad mortem
„ quo-

„ quotidie cursu rerum labentium tendunt, sed cogitare „ mortalia, mortaliter nesciunt. Carnis vita per momenta deficit, & tamen carnale desiderium crescit. Res „ habita instanti fine corripitur, & habendi anxietas non „ finitur. Sed cum mors impios subtrahit, eorum profecto desideria cum vita terminantur. Quorum scilicet oculi tunc superna ultione deficiunt; quia suo hic judicio a terrena deficere delectatione noluerunt. Hos illorum oculos a jucunditate pristina claudi Psalmista conspexerat, cum dicebat, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum:* quia æterna mala nunquam cogitata „ reperiunt, & subito amittunt bona temporalia, quæ „ diu tractando tenuerunt ".

Quæst. 27. Quid est Dei tentatio?

Resp. Tentare Deum est, cum dicitur aut fit aliquid absque justa causa, ad sumendum experimentum de providentia Dei, aut de aliqua ex divinis ejus perfectionibus. Sic tentaret Deum, qui ab eo peteret, ut miraculum patraret absque necessitate. Si vellet ambulare super aquas, quia posset Deus impedire, quominus mergeretur. Si vellet se præcipitem dare e fastigio turris, quia posset Deus impedire quominus ex casu periret. Quare ipsemet Dominus, & Salvator noster, diabolo tentanti sic respondit (*Matth. c.* 4.); *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum:* dum scilicet illi insinuaret, ut e pinnaculo templi se præcipitaret, Angelosque impedituros, ne caderet. Sic etiam legimus in Exodo, quod Israelitæ tentaverunt Deum; sic enim legitur (*Exod. c.* 17.): *Vocatum est nomen loci illius, tentatio, quia tentaverunt Dominum, dicentes: Est-ne Deus in nobis, an non?* ac si experiri vellent, potuisset-ne Deus eorum necessitatibus subvenire: qua tentatione gravissime Deus offensus est, ut propterea terram sanctam patribus eorum promissam, & cœlestis patriæ, seu Paradisi figuram, numquam sint ingressi, ut ait Deus ipse, Numer. cap. 14. *Tentaverunt me jam per decem vices, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* Tentat etiam Deum, qui aliquem vult consequi finem illius quidem auxilio, nec tamen uti mediis ab eo ad talem finem obtinendum ordinatis: ita tentant Deum, qui volunt sua sibi dimitti peccata, aliis tamen in se commissa condonare nolunt: quoniam quidem explorare volunt, si misericordiam iis præstare velit, qui eamdem proximo denegant, contra id, quod dicitur Jacobi 2. *Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* Unde Ecclesiasticus c. 18. admonet: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

Sanctus Augustinus variis in locis indicat, quibus modis tentatur Deus, præsertim autem eum ait (*lib.* 22. *contra Faustum c.* 36.): „ Pertinet ad sanam doctrinam, „ ut quando habet, quod faciat homo, non tentet

„ Do-

„ Dominum Deum suum. Neque enim & ipse Salvator „ non poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Cu- „ jus rei prior exemplum præbuit; nam cum potestatem „ haberet ponendi animam suam, nec eam poneret, nisi „ cum vellet, in Ægyptum tamen infans, portantibus „ parentibus, fugit; & ad diem festum, non evidenter, „ sed latenter, ascendit, cum alias loqueretur Judæis ira- „ scentibus, & inimicissimo animo audientibus, nec tamen „ valentibus in eum mittere manus, quia nondum vene- „ rat hora ejus. Qui ergo palam docendo, & arguen- „ do, & tamen inimicorum rabiem valere in se non si- „ nendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen fu- „ giendo, & latendo, hominis instruebat infirmitatem, „ ut Deum tentare non audeat quando habet, quod fa- „ ciat, ut, quod cavere oportet, evadat. Neque enim „ & Apostolus Paulus desperaverat adjutorium, protectio- „ nemque divinam, fidemque perdiderat, quando per mu- „ rum in sporta submissus est, ut inimicorum manus effu- „ geret. Non ergo in Deum non credendo, sic fugit; „ sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cum sic fugere „ potuisset.

„ Neque enim, *ut ait idem sanctus Doctor (de opere* „ *Monachorum unic. c. 27.)*, quia dixit Deus: *Invoca* „ *me in die tribulationis, & eximam te, & glorifica-* „ *bis me*, propterea non debuit fugere Apostolus, & per „ murum in sporta submitti, ut manus persequentium „ evaderet: sed expectare potius, ut comprehenderetur, „ & eum sicut tres pueros de mediis ignibus liberaret. „ Aut propter hoc nec Dominus dicere debuit: *Si vos* „ *persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*; „ quia ipse dixit: Si quid petieritis in nomine meo, da- „ bitur vobis. Sicut ergo quisquis persecutionem fugien- „ tibus Christi discipulis objiceret hujuscemodi quæstionem, „ cur non stetissent potius, ut invocato Deo, per ejus „ mirabilia sic eruerentur, ut Daniel a leonibus, & Pe- „ trus a vinculis, responderent, non se oportuisse tentare „ Deum, sed nunc eum talia, si vellet, esse facturum, „ cum ipsi quid facerent non haberent: cum vero eis „ fugam in potestatem dedisse, etiamsi per illam liberan- „ tur non nisi ab illo liberari. Sic etiam Dei servis vacan- „ tibus, & valentibus, exemplo & præcepto Apostolico, „ manibus suis victum transigere, si quis ex Evangelio „ moverit quæstionem de volatilibus cæli, quæ non se- „ minant, neque metunt, neque congregant in apothe- „ cas; & de liliis agri, quia non laborant, neque nent: „ facile respondebunt, si & nos per aliquam, vel infir- „ mitatem, vel occupationem, non possumus operari, „ sic ille nos pascet, & vestiet, quemadmodum aves, „ & lilia, quæ nihil operantur hujuscemodi. Cum au- „ tem possumus, non debemus tentare Deum nostrum, „ quia & hoc, quod possumus, ejus munere possumus, &

„ cum sic vivimus, illo largiente vivimus, quia largitus „ est, ut possimus “. Quare ne Deum tentemus, sequamur oportet regulam a Concilio Tridentino (*sess. 6. c. 11.*) praescriptam : *Et facere quod possis, & petere quod non possis.*

Verum una ex magis periculosis tentationibus Dei, ea est, cujus se reos efficiunt peccatores excæcati, qui differunt de die in diem converti ad Dominum: & videntur experiri velle, poterint ne christiani mori post vitam gentiliter transactam. Qui Deum tentant hac vana fiducia, se utique indignos præbent ejus miseratione, qui *invenitur ab his, qui non tentant illum*, uti dicitur Sapientiæ cap. 1.

TRACTATUS
TERTIUS.

De secundo Decalogi Præcepto.

SEcundum Decalogi præceptum sic concipitur, & exprimitur, Exodi c. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei frustra.*

CAPUT PRIMUM.

Definitio & divisio Juramenti.

Quæst. 1. QUid est Juramentum?

Resp. Paucis juramentum videtur definire Sanctus August. cum ait (*ser. 28. de Perjurio, de verb. Apostol.*) : *Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus?* Verum Sanctus Antoninus juramentum sic clare definit (*p. 2. tit. 10. c. 3. in princ.*) ; *Juramentum est affirmatio, vel negatio de aliquo, scilicet de facto, vel faciendo, sacræ rei attestatione firmata.*

Dicitur primo ; *affirmatio, vel negatio :* quod fieri potest non modo verbis, sed etiam aliqua actione, ut cum tanguntur Sacræ Scripturæ in testimonium veritatis. Dicitur *de facto, vel faciendo :* quia, ut inquit Sanctus Thomas (*2. 2. q. 89. art. 1. in corp.*): „ Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum „ præsentia, & vel præterita; & hoc dicitur juramen„ tum assertorium. Quandoque autem inducitur ad con„ firmandum aliquid futurum, & hoc dicitur juramen„ tum promissorium “. Denique est *affirmatio vel negatio sacræ rei attestatione firmata;* quia quodlibet juramentum refertur ad Deum, cujus testimonio aliquid affirmatur; sive explicite, ut cum expresse juratur per sacra-

sacrosanctum Dei nomen, sive implicite, ut si juratur per Evangelia, per Sanctos, & alia similia, quæ necessario referuntur ad Deum. Idem est, si juretur per quamcumque creaturam quatenus refertur ad Creatorem; & in hoc sensu omnia fiunt sacra, cum iis utimur ad aliquam veritatem in juramento confirmandam; ut docet Sanctus Thomas, cum ait (2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *in corp.*); „ Juramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cujus testimonium invocatur: secundario autem assumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, non secundum se, „ sed in quantum in eis divina veritas manifestatur; sicut juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur; & per Sanctos, qui „ hanc veritatem crediderunt, & observaverunt ". Et quoniam Dei majestas in creaturis relucet, jurare censetur, qui dicit, per cælum, aut per terram ita res est. Unde Christus Dominus in Evangelio ait (*Matth. c.* 5.); „ Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per „ cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia „ scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, „ quia civitas est magni Regis: neque per caput tuum „ juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum ".

Quæst. 2. Quomodo dividitur juramentum?

Resp. Dividitur primo in juramentum assertorium, & promissorium. Secundo in execratorium, & comminatorium. De execratorio sic loquitur Divus Augustinus (*in Ps.* 7.): *Jurare videtur per execrationem, quod est gravissimum jusjurandi genus, cum homo dicit, Si quid feci, illud patiar.* Scilicet cum quis non solum invocat Deum in testimonium dicti, sed etiam in judicem, & ultorem, si mentiatur: V. G. me Deus damnet, vel diabolus me secum auferat, si hoc ita est, aut non est. Idem dicendum, si quis juret per vitam suam, caput, liberos suos &c. perinde enim est, ac si diceret: Deus mihi vitam eripiat, &c. si hoc ita habet, aut non habet. Juramentum comminatorium est, cum testis vocatur Deus damni alicui inferendi: ut si jurem, me te percussurum, si id facias, vel non facias.

Quæst. 3. Jurat-ne, qui dicit: Per fidem meam res ita est; aut fide mea res ita est?

Resp. Nemini dubium est, quin si per fidem prima virtus Theologica intelligatur, sit juramentum; quoniam juratur per Deum ipsum, qui est author veritatis, quam fides docet: sin autem per verbum, *fides*, solum intelligatur, fidem adhibere debes meis verbis, quia vera sunt; sicut etiam dicitur, per fidem viri probi, viri nobilis; tunc non esset verum juramentum; sed quia plebs, sive vulgus, hujusmodi distinctiones non novit, & credit esse juramentum, quoties dicitur, fide mea, abstinendum est & ab hoc loquendi modo, qui potest esse occasio scandali; imo & a proferendis quibusdam

voca-

vocabulis corruptis, quæ speciem, & similitudinem habent juramenti, cum id omnino, saltem ut plurimum, non immune sit a peccato, & gravi aliquando propter scandalum: quod insinuare videtur Ecclesiasticus (*c.* 32.), dum ait: *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.*

CAPUT II.

De conditionibus necessario requisitis, ad hoc ut juramentum sit licitum.

Quæst. 1. LIcet-ne aliquando jurare?

Resp. Quamquam, ut habetur in Ecclesiastico (*c.* 23.): *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga;* nihilominus juramentum non solum potest esse licitum, sed est etiam actus virtutis, si accedant debitæ circumstantiæ, quibus redditur licitum. Hoc autem asserit Sanctus Augustinus, dum ait (*ser.* 28. *de verbis Apost.*): *Si peccatum esset juratio, nec in veteri lege diceretur,* Non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum: *non enim peccatum præciperetur nobis, ut noveritis, verum jurare non esse peccatum, invenimus Apostolum Paulum jurasse.* Et idem sanctus Doctor in alio loco ait (*lib. de Mendacio c.* 15.): *Juravit ipse Apostolus in Epistolis suis, & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est:* Dico vobis non jurare omnino: *ne scilicet jurando, ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur.*

Quæst. 2. Quænam sunt conditiones requisitæ ad hoc, ut juramentum sit licitum?

Resp. Tres sunt, nempe veritas, judicium, & justitia. Ut dicitur Jeremiæ c. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia.* Cujus quidem rationem assignat Sanctus Thomas, dum ait (2. 2. q. 89. *art.* 3. *in corp.*); „Juramentum non est bonum, nisi ei, qui bene utitur juramento: ad bonum autem usum juramenti, duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discrete juret: & quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundo, quatenus ad id, quod per juramentum confirmatur, ut scilicet, neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum est, & justitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum; veritate autem juramentum mendax; justitia autem juramentum iniquum, seu illicitum".

Quæst. 3. Quinam violant primam juramenti conditionem, quæ est veritas?

Resp. Illam primo violant qui jurant pro re, quam putant esse falsam; qui proinde committunt peccatum perjurii, de quo ait sanctus Augustinus (*Ser.* 28. *de verb. Apost.*): *Perjurium peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat.* Et hoc quidem licet res, pro qua juratur, levissima foret, & minimi momenti. Quare Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem (*Decretum Innoc. XI.* 2. *Martii* 1679. 14. *Propositio damnata.*)

„ Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tan- „ ta irreverentia propter quam velit, aut possit damnare „ hominem ".

Reus etiam quis fieret peccati perjurii, si juraret absque intentione jurandi, sicuti si jurando uteretur æquivoco. Unde idem Summus Pontifex damnavit duas sequentes propositiones.

25. Proposito damnata:

„ Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, si- „ ve res sit levis, sive gravis ".

26. Propositio damnata:

„ Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, „ sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quo- „ cumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re- „ vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non „ fecit, vel aliam viam ab ea qua fecit, vel quodvis a- „ liud additum verum; revera non mentitur, non est per- „ jurus ".

Videtur, quod S. Augustinus loqui voluerit de Casuistis, qui tam absurdas propositiones ausi sunt proferre, quando zelo tanto doctore digno eos arguit, qui suo tempore mendacia, ac etiam perjuria licita esse dicebant in quibusdam occasionibus & circumstantiis: contra quos ait (*contra Mendacium*, c. 18.): „ Sunt in eis docti, „ qui etiam regulas figunt, finesque constituunt, quando „ debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes „ lacrymarum! & quid faciemus? quo ibimus? ubi nos „ occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus „ cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria "? Verum idem Sanctus Doctor convellit omnia illorum inania fundamenta, qui vellent favere æquivocis, & restrictionibus mentalibus, dum ait (*c.* 4. *de Mendacio.*): „ Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & „ aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat. „ Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est du- „ plex cogitatio, una rei ejus quam veram esse vel scit, „ vel putat, & non profert: altera ejus rei quam pro ista „ profert, sciens falsam esse, vel putans ". Quare merito ei posset attribui dictum illud Ecclesiastici (*c.* 1. *v.* 14.): *Væ duplici corde:* Et cum eodem Sancto Doctore (*Ep.* 222. *vel* 224. *ad Alipium.*): „ Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, de- „ ceperunt ". Cujus quidem rationem afferre videtur S. Isi- do-

dorus, cum ait (*lib. 2. de summo bono c. 31.*): „ Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit ".

„ Quid vero de his dicendum est, *inquiunt Patres congregati in Concilio Troslejano* (*anno 909. c. 11.*), qui, ut alios fallant, mentiuntur, vel quorumque verborum arte, se potius quam alium decipiendo pejerant? Dominus namque qui testis est conscientiae, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Unde S. Augustinus ait: Perjuri non sunt, qui, verbis non servatis, aliud quod ab eis cum jurarent expectatum est, impleverunt: & perjuri sunt etiam, qui servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est, decipiunt. Hi miseri, heu quantis rei tenentur criminibus, praevaricatores totius sacrae legis veteris & novae proditi, quia loquuntur mendacium, quia assumunt nomen Dei sui in vanum, quia proximum dolo capiunt, insuper & perjurant ".

Violant etiam primam juramenti conditionem, qui non implent, quod jurando promiserunt; quia ut ait Sanctus Thomas (*1. 2. q. 89. art. 1. in corp.*): „ In juramento, quod praestatur de his quae sunt futura a nobis, obligatio cadit super rem, quam aliquis juramento firmavit; tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit: alioqui deest veritas juramento ": Et ita perjurii fit reus.

Quaest. 4. Quomodo violatur secunda juramenti conditio, quae est judicium?

Resp. Peccatur contra hanc conditionem, quoties juratur levibus de causis, & absque necessitate; ut docet Sanctus Augustinus his verbis (*l. 1. de serm. Domini in monte.*): „ Ita ergo intelligitur praecepisse Dominum, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat juramentum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refraenat se, quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitate; cum videt, pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur ".

Peccatur etiam contra hanc secundam conditionem, cum quis jurat ad confirmandam rem falsam, quam putabat esse veram, si priusquam juraret, non adhibuit debitam diligentiam, ut certior fieret de veritate rei, quam jurando affirmavit: tunc enim jurat indiscrete, & temere, ut asserit Sanctus Augustinus, dum ait (*de verbis Apost. ser. 28.*): „ Homines enim falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur: aut putat homo verum esse quod falsum est, & temere jurat ". Haec autem temeritas contingere etiam potest juramento, licet juretur veritas; quia si haec veritas non sit nobis sufficienter

ter nota, efficimur rei, quando eam jurando affirmamus, & nos periculo exponimus utendi juramento in confirmationem rei falsæ.

Quæst. 5. Quando-nam violatur tertia juramenti conditio, quæ est justitia?

Resp. Eam violat, qui jurat, aut juramento promittit, se rem malam facturum, V. G. vindictam sumpturum ab inimico; quo casu graviter jurando peccat; imo in his, & similibus juramentis, committitur species perjurii, ut dicitur in Canone (*Can. Qui sacramento*, 22. *q.* 1.): „ Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat: ad charitatem vero quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet ". Enimvero gravem sine controversia committit irreverentiam, quisquis abutitur sanctissimo Dei nomine, ut affirmet, & polliceatur, se rem malam facturum. Unde Concilium Toletanum, relatum in Canone, ait (*Can.* 8. *relatum in Can. Necesse*, 22. *q.* 4.): „ Necesse est, ut male jurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini, contra præceptum illius, sumpsit in vanum: quia in Exodo scriptum est: Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra ".

Quæst. 6. Tenetur-ne quis implere rem malam, quam juramento promisit?

Resp. S. Gregorius respondet (*l.* 3. *exposit. in lib.* 1. *Reg. c.* 14.): *Cum male juratur, justius jusjurandum dimittitur, quam compleantur crimina, quæ jurantur.* Et Alexander Papa III. relatus in Canone (*Cap. si vero, de jurejurando*), ait: *Non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Unde dicitur in alio Canone (*Can. Non pejerabis*, 22. *q.* 4.): *Malum tamen, quod facturum se sacramento devoverit, omnino non faciat.*

Præclaram hac de re historiam legimus, seu exemplum, in annalibus Ecclesiasticis, apud Baronium tomo 12. anno 1170. in Epistola quadam sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, ad quosdam Episcopos Angliæ, & alios viros Ecclesiasticos, quos Henricus II. Angliæ Rex adegerat, ut jurarent, ne decretis, aut mandatis Alexandri Papæ tertii, & sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, & Angliæ Primatis, obedirent. Sanctus hic Archiepiscopus sciens scrupulum, quo laborabant dicti Episcopi & Sacerdotes, ipsis egregiam scripsit Epistolam, his verbis: „ Si non spontanei, sed inviti tracti accessistis, in parte quidem excusatur peccatum, sed non excusatur omnino. Satius fuisset, corpus ipsum predere, quam juramentum execrabile perpetrasse; unde filii mortis universi vos, quia (juxta quod Propheta ait de populo suo) &

„ vos plaga inimici percussi estis castigatione crudeli.
„ Verum ad manifestandam solicitudinem, quam pro
„ vobis habemus ad Deum, vulneri tam sævo fomentum,
„ quod solum nunc superest, adhibere curavimus, & de
„ tam illicito juramento pœnitentes, illos præsertim,
„ qui non spontanei, sed coacti juraverunt, vice beati
„ Petri Apostolorum Principis, & Romani Pontificis, &
„ nostra absolvimus: Venerabilibus fratribus nostris Diœ-
„ cesanis Episcopis, & etiam minoribus sacerdotibus,
„ ubi sedes Episcopalis vacare contingit, vices nostras in
„ exteriori satisfactione jam dictis pœnitentibus injun-
„ genda committentes. Admonentes omnes id scire vo-
„ lentes, vos nequaquam tali juramento esse obnoxios;
„ nec ut pareatis obligari; nec, instar Herodis, sub præ-
„ textu pietatis efficiamini impii, & juramento excusetis
„ scelus ipso deterius, juxta quod quidam ait: Non est
„ observandum juramentum, quo malum incaute pro-
„ mittitur. Et item: In malis promissis rescinde fidem,
„ dirumpe votum, immuta decretum: quod incaute vo-
„ visti, ne facias".

Unde & Sanctus Bernardus (*ep.* 219.), *Nemo sapiens dubitat illicita juramenta non esse tenenda.*

Quæst. 7. Tenemur-ne implere, quod promisimus cum juramento, gravi metu expresso?

Resp. Cum obligatio juramenti tanti sit, ut nullatenus solvi possit, nisi hujusmodi promissionis observatio vergeret in detrimentum salutis æternæ ejus qui juravit; sequitur, quod metus gravis nos minime eximat ab eo observando, quia licet perfecta desit libertas, voluntarie tamen factum censetur; quoniam quidem voluntas etiam coacta, semper voluntas censetur; ac proinde sicut coactio nos non excusaret a peccato, si jurejurando affirmaremus, aliquid esse verum, scientes esse falsum: sic eadem insurgit obligatio in juramento promissorio; tenemur enim efficere, ut verum sit, quod promisimus, ut diximus cum S. Thoma: ipsaque coactio quam cum juramento promisimus, nos a peccato minime liberat, si promissum non compleamus. Hac de causa Alexander Papa tertius, relatus in Canone (*Cap. Si vero, de jurejurand.*), sic respondet scribens Archiepiscopo Senonensi: „ Si vero aliquis quemquam gravissimo metu, sub
„ religione juramenti, suum jus refutare coegerit, ipsum-
„ que sibi retinuerit; quia nos consulere voluisti, duximus
„ tibi respondendum, quod non est tutum, quemlibet con-
„ tra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod serva-
„ tum vergat in interitum salutis æternæ; nec nos alicui
„ dare materiam volumus veniendi contra juramentum pro-
„ prium, ne authores perjurii videamur". Eodem modo respondet Clemens Papa III. relatus in Canone (*Cap. Ad aures, de his, quæ vi metusve causa fiunt*); ait enim:
„ Renunciatio facta ob terrorem laicorum, (nisi forte
„ juramento, vel fide interposita sit confirmata,) non
„ im-

„ impedit, quominus is qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus regimen prius erat electus, præficiatur eidem. *Ex* „ *quo Glossa concludit* (*Gloss. ibid. in verb. nisi forte* „ *juramento*): Ergo si juramentum intervenisset, quod „ ulterius non repeteret, non potest eam repetere, ju„ ramento vel fide obstante, quod potest servari sine in„ teritu salutis æternæ. *Et S. Th. ait* (*2. 2. q. 89. art.* „ *7. ad 3.*): In juramento quod quis coactus facit, du„ plex est obligatio; una quidem qua obligatur homini „ cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per „ coactionem. Alia autem est obligatio, qua quis Deo „ obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; „ & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: „ quia magis debet damnum temporale sustinere, quam „ juramentum violare".

Quæst. 8. Quare juramentum factum ex metu gravi, obligat; & votum emissum ex pari metu, non obligat; cum videatur esse eadem obligatio in voto, ac in juramento; in utroque enim intervenit Dei nomen?

Resp. Prima & præcipua ratio est, quia sic in sacris Canonibus definivit Ecclesia. Hos Canones retulimus agendo de voto & juramento: at si velimus expendere motiva, quæ impulerunt Summos Pontifices, ad statuendum in hoc casu discrimen inter votum, & juramentum: Dico, quod votum emissum ex metu, non est votum; & juramentum factum eodem metu, semper est juramentum. Ratio, quare tale votum non est votum, est, quia, ut ait Glossa (*Gloss. in c. Abbas, de his quæ vi metusve causa, verbo coactus*): *Nota, quod ea quæ per timorem, vel metum fiunt, qui possit cadere in constantem virum, tenent: & obligatur quis per hoc, licet coactus, & juramentum super hoc factum tenet. Secus est in voto, quia votum res est consilii, non præcepti, & liberum est arbitrium in vovendo; alias non est votum.* Siquidem Deus promissa vi facta non acceptat; non enim vult, ut novam aliquam ineamus per vim obligationem, quam ipse nobis non imposuit. E contra vero juramentum evadit necessario crimen, si illi desit una ex adductis juramenti conditionibus, scilicet veritas, judicium & justitia; & cum hoc crimen sit de jure naturali, & divino, excusari non potest per gravem metum; sicuti qui thura dabant idolis metu mortis, revera peccabant, quia ut dicitur in Canone (*Can. Ita ne, 32. q. 5.*): *Debemus potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire.* Sicut igitur veritas præsens, vel præterita, necessaria est in juramento assertorio: ita veritas futura necessario requiritur in promissorio, ne sit peccaminosum. Hæc autem veritas deesset, si non teneremur efficere, ut verum foret, quod juramento promisimus: quemadmodum ille, qui juramento affirmaret, aliquid esse verum, sciens esse falsum, non excusaretur a peccato, quamvis ex metu gravi jurasset, ut dicitur in Canone (*Can. Si quis coactus*,

ctus, 22. *q.* 5.): *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perjurat: quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat. Alii vero jejunent tres annis, unum ex his in pane, & aqua.* Ita is qui juravit, se aliquid facturum, licet metu gravi coactus, in crimen incideret, si quod promisit, non præstaret, & executioni mandaret: quamobrem etiam superius diximus, metum gravem a peccato eum non excusare, qui jurat se rem aliquam malam facturum; quia cum justitia huic juramento desit, licet metu sit expressum, non vacat tamen crimine. Videtur tamen, quod possit proponi Superiori Ecclesiastico metus, quo quis ad jurandum est inductus, & ab eo peti dispensatio, ut juramentum non impleatur; ut diximus tom. 1. hujus Theologiæ moralis, tr. 2. c. 4.

Quæst. 9. Quomodo se gerere debet Confessarius cum eo, qui versatur in consuetudine jurandi absque judicio, & necessitate?

Resp. Cum hæc consuetudo vix radicitus evelli possit, nihil debet omittere Confessarius, ut illam penitus auferat. Et ut ait S. Augustinus (*de ver. Apost. serm.* 28.): „ Major consuetudo majorem intentionem flagitat, quam „ rei levis consuetudo; si de manu aliquid faceres, facilius manui tuæ imperares, ne faceret: si pedibus aliquando eundum esset, pigritia retardante, excitares te, „ ut surgeres & ires: lingua facilitatem habet motus, in „ uno posita est, facile in lubrico labitur, quanto illa „ citius & facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis si vigilabis, vigilabis si timebis, si „ Christianum te esse cogitaveris ". Quoniam quidem Christianus memor esse debet voti in baptismo suscepti.

Videtur, quod Confessariis nullum occurrere potest opportunius remedium, quam si imponant de facili jurantibus, aliquam pœnitentiam, quoties incident in hoc peccatum; ut præscribit S. Carolus (*). Confessarii blasphemis præscribere debent, ut immediate post peccatum suum aliquam pœnitentiam agant, V. G. ut statim osculentur terram, aliquam largiantur eleemosynam, brevem aliquam recitent orationem; & quia accidere potest, ut dictæ pœnitentiæ statim impleri nequeant post juramentum, quia cum aliis in societate versantur, quæ hoc remedium difficile admodum redderet eo momento, eis aliqua alia porrigenda est pœnitentia, V. G. ut linguam sibi mordeant, ut aperto stent capite per aliquod temporis spatium, & hujusmodi. Sed præcipue injungi debet,

---

(*) Diano per rimedio a' peccatori, che facciano qualche penitenza subito fatto il peccato: come a' bestemmiatori di baciar in terra, e dar qualche limosina, ovvero dire alcuna breve orazione.

debet, ut aliquod signum retineant sui peccati, V. G. lapillum in peram conjiciant, aut aciculam vesti infigant, seu nodum sudario implicent, aut aliquid simile, quoties incident in hoc peccatum: & sic possint exacte omnium meminisse in examine conscientiæ, quod singulis noctibus, priusquam lecto discumbant, sine dispensatione, curabit ab eis faciendum: sic quippe numeri peccatorum commissorum recordabitur peccator, ut quoties peccaverit, toties impositam a Confessore pœnitentiam adimpleat, V. G. ut lingua formet crucem in terra, digitum ponat super candelam accensam, & serio cogitet, quod non pauci ardent, & perpetuo ardebunt in inferno, quia semel in hujusmodi peccatum inciderunt, quod ipsi tam frequenter committunt. Videatur Tom. 4. Tract. 6. c. 7. n. 14.

Quæst. 10. Est-ne licitum Christiano exigere juramentum ab infideli, quem scit juraturum per falsos Deos?

Resp. S. Augustinus sic respondet (*ep.* 154. *ad Publicolam, in Canon. movet*, 22. *q.* 1.): „ Alia ergo quæstio est, utrum non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari fecit, quando ille, qui ei jurat, Deos falsos colit. „ Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ „ ipse commemorasti de Laban, & Abimelech: si tamen „ Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum, „ ut dixi. Alia quæstio est, quæ me merito fortassis moverit, nisi illa exempla occurrissent de Isaac, & Jacob, & si quæ alia possunt invenire .... Sic etiam cum „ in libro Machabæorum Romani leguntur pacem firmasse cum Judæis, intelligendi sunt jurasse per falsos Deos; „ sicut & Judæi juraverunt per Deum verum ".

Angelicus Doctor hanc Sancti Augustini doctrinam ita exponit, ut scilicet numquam liceat inducere aliquem ad jurandum per falsos Deos: *Dicendum*, inquit S. Thom. (2. 2. *q.* 98. *art.* 4.), *quod licet malo uti propter bonum, sicut & Deus utitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos Deos juret.*

Quæst. 11. Est-ne licitum exigere juramentum ab homine, quem credimus juraturum esse falsum?

Resp. Cum juramentum falsum sit crimen immane, quod nullatenus excusari potest, sequitur, nos certo peccare, si illi quocumque modo cooperemur, exigentes juramentum ab eo, quem judicamus commissurum perjurium. Hæc actio adversatur omnino charitati erga proximum, & erga Deum, quæ dominari debet in corde hominis Christiani; quoniam quidem occasionem præberet, tum offendendi Deum, tum perdendi proximum. Quapropter S. Augustinus ait (*de perjuriis, serm.* 30. *de ver. Apost. refertur in Can. qui ex* 22. *q.* 5.): *Qui exigit juramentum, multum interest, si nescit illum falsum*

juraturum, an sciat. Si enim nescit, & ideo dicit: Jura mihi, ut fides ei fiat; non est peccatum; tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, novit fecisse, vidit fecisse, & cogit jurare, homicida est. Ille enim suo se perjurio perimit, sed iste manum interficientis & impressit, & pressit. Quin etiam idem S. Augustinus volens ostendere, quantum sit crimen exigere juramentum ab eo, quem scit juraturum esse falsum, in alio loco, relato etiam in Canone, ait (*Can. Ille qui hominem*, 22. *q.* 5.): „ Ille qui hominem provocat ad „ jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vin„ cit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, „ ille animam, imo duas animas, & ejus quem jurare „ provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & „ falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce „ jurat, ecce pejerat, ecce perit. Tu quid invenisti? „ imo & tu periisti, qui de illius morte te satiare vo„ luisti ".

Quæst. 12. Quot modis cessare potest obligatio juramenti?

Resp. Cessat primo per ejus condonationem, in cujus favorem factum est juramentum; ut explicat S. Thomas, cum ait (2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 2.): „ Homo potest ali„ quid promittere sub juramento alteri pertinens ad uti„ litatem ipsius, puta si sub juramento promittat, se „ serviturum ei, vel pecuniam daturum: & a tali pro„ missione potest absolvere ille, cui promissio facta est: „ intelligitur enim ei solvisse promissum, quando facit „ de eo secundum ejus voluntatem ".

Cessat secundo juramenti obligatio per irritationem, dispensationem, aut commutationem superioris, ut diximus de voto; quia de his in juramento eodem modo ratiocinandum est, ac in voto; videmus enim, ipsam Scripturam sacram duas has obligationes ex voto, & juramento susceptas, ex æquo conjungere; ut patet Numerorum cap. 30. „ Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxe„ rit juramentis, quæ est in domo Patris sui, & in ætate „ adhuc puellari, si cognoverit pater votum quod pollicita „ est, & juramentum quo obligavit animam suam, & ta„ cuerit, voti rea erit; quicquid pollicita est & juraverit, „ opere complebit: sin autem statim ut audierit, contra„ dixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt.

Denique cessat obligatio juramenti, quoties res promissa fit impossibilis, vel illicita; V. G. si qui promisit se jejunaturum, aut peregrinationem aliquam suscepturum, postmodum in morbum incidat, ita ut non possit amplius jejunare, aut iter suscipere, tunc impossibilitas tollit obligationem juramenti, ac voti: idem dicendum est, si quis cum juramento promisisset, se pecuniam alicui daturum, aut pro eo aliquid facturum: & id postmodum fiat impossibile. Reddi quoque potest illicitum, quod cum juramento promissum est, V. G. si quis pollicitus

est jurando, se in talem locum iturum, idque Rex prohibuerit, tunc cum res fiat illicita, obligatio quoque juramenti cessat, juxta id quod dicitur in Can. (*Can. inter cætera 22. q. 4.*): *Porro juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis*.

Quæst. 13. Si quis juramento promisit se aliquid tali tempore facturum; & dicto tempore præcise illud implere non possit, tenetur-ne illud postea implere, cum primum poterit?

Resp. Cum idem dicendum sit de voti, ac de juramenti obligatione, expendendum est, qualis sit in simili casu obligatio voti, & audiendus est S. Thom., dum ait (*in 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 4. ad 6. q. 1.*): „ Si in „ vovendo prius cogitavit de religionem intrando, & po„ stea elegit talem religionem, vel talem locum, obli„ gatur simpliciter ad religionem, unde si non potest in „ illa, quam elegit, recipi, debet aliam quærere. Si au„ tem primo & principaliter cogitavit de tali religione, „ vel tali loco, in voto ejus intelligitur hæc conditio, si „ illi volunt eum recipere; alia esset indiscretum votum; „ unde conditione non extante, non obligatur. Si autem „ dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutio„ rem viam eligere, ne se discrimini committat. " Et ita quando quis cum juramento promisit, se rem aliquam facturum, V. G. peregrinationem suscepturum, aut certo tempore jejunaturum, aut aliquam rem alicui daturum, si non possit id eo tempore præstare, tenebitur id perficere, quando poterit, si ubi juravit, ita fuit affectus, ut promisisset se alio tempore facturum, si non posset id præstare tempore a se præscripto: Sin autem ubi promisit, ita circumstantiæ temporis rationem habuerit, ut eo solum tempore se obligare voluerit, tunc ad nihil tenetur. Sin autem dubitet, utrum se voluerit obligare generaliter ad rem aliquam faciendam, aut solum ad eam faciendam in tali temporis circumstantia, tunc securiorem partem, secundum Divum Thomam, sequi debet, id exequendo, quod promisit.

TRACTATUS QUARTUS.

De tertio Decalogi præcepto.

TErtium Decalogi præceptum sic exprimitur, Exodi c. 20. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septima autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena*

qui

qui est inter portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit illum.

CAPUT PRIMUM.

De institutione diei Sabbati in lege veteri, & de ejus mutatione in diem Dominicam tempore legis novæ.

Quæst. 1. PRæceptum de observatione Sabbati est-ne morale, & immutabile, sicut reliqua præcepta Decalogi?

Resp. Ex sancto Thoma (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 1.): „ Præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intel„ lectum, est partim morale, partim cæremoniale: mo„ rale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet ali„ quod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis: inest enim „ homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei „ necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corpora„ li refectioni, somno & aliis hujusmodi: unde etiam „ spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur „ secundum dictamen rationis naturalis, aliquod tem„ pus deputat homo; Et sic habere aliquod tempus de„ putatum ad vacandum divinis, cadit sub præcepto mo„ rali. Sed quantum in hoc præcepto determinatur „ speciale tempus in signum orationis mundi, sic est „ præceptum cæremoniale. Similiter etiam cæremoniale „ est secundum allegoricam significationem, prout fuit „ signum quietis Christi in sepulchro, quæ fuit septi„ ma die “.

Quare, ut ait Catechismus Concilii Tridentini (*Catech. Rom. p.* 3. *de* 3. *Decalogi Præcepto*, *n.* 8. & 9.): „ Certa illa differentia videtur, quod reliqua Decalogi „ præcepta, naturalia sunt & perpetua, neque mutari „ ulla ratione possunt; quo factum est, ut quamvis lex „ Mosis abrogata sit, omnia tamen præcepta, quæ dua„ bus tabulis continentur, populus Christianus servet. „ Quod ideo fit, non quia Moyses ita jusserit, sed quod „ naturæ conveniunt, cujus vi homines ad illa servan„ da impelluntur. Hoc autem de Sabbati cultu præce„ ptum, si statutum tempus spectatur, non fixum & con„ stans est, sed mutabile; neque ad mores, sed ad cæ„ remonias pertinet: neque naturale, quoniam non a na„ tura ad id docti, aut instituti sumus, ut illo die potius „ quam alio externum cultum Deo tribuamus, sed ex eo „ tempore quo populus Israeliticus a Pharaonis est ser„ vitute liberatus diem Sabbati coluit “.

Quæst. 2. Quando-nam cessavit obbligatio diei Sabbati, & incepit in Ecclesia diei Dominicæ observatio?

Resp. Sanctificatio Sabbati cessavit eodem tempore,

 quo

quo antiquæ legis cæremoniæ ; & cum per mortem , & resurrectionem Christi Domini , omnes fuerint impletæ figuræ , observatio illius diei simul cessavit cum omnibus sacrificiis , & cæremoniis Judaicis. Quare asserunt sancti Patres , loquutum fuisse Divum Paulum de Sabbato sicut & de reliquis legis observantiis , cum arguebat Galatas his verbis (*c.* 4.) : *Dies observatis , & menses , & tempora , & annos : timeo vos , ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Idem Apostolus clarius significat , Christianos non teneri ad observandum Sabbatum , quando scribens ad Colossenses , ait (*c.* 3.) : *Nemo ergo vos judicet in cibo , aut in potu , aut in parte diei festi , aut neomeniæ , aut sabbatorum .*

Loco Sabbati statuerunt Apostoli inter Christianos observantiam primæ diei hebdomadæ , quam vocaverunt diem Domini , seu Dominicam , quia specialiter erat ad ejus cultum deputata. Videmus , quod sanctus Joannes illius meminit in Apocalypsi , dum ait (*c.* 1.) : *Fui in spiritu in Dominica die.* Eumdemque diem Dei cultui dedicatum satis indicat Divus Paulus scribens ad Corinthios (1. *Cor. c.* 16.) : *Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat , recondens quod ei bene placuerit : ut non , cum venero , tunc collectæ fiant .* Et Actorum c. 20. *Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem* , scilicet Eucharistiam .

Una enim sabbati , inquit sanctus Augustinus (*ep.* 86. *ad Casulanum , de jejunio Sabbati*) , *appellabatur dies , qui nunc Dominicus appellatur ; quod in Evangelio apertius invenitur. Nam dies resurrectionis Domini , prima sabbati a Matthæo , a cæteris autem tribus una sabbati dicitur.* Sanctus autem Ignatius martyr , qui discipulus erat Apostolorum , eodemque vixit tempore , ait (*Epist. ad Magnesias.* 6.) : *Post sabbatum omnis Christi amator Dominicum celebret diem , diem Resurrectioni consecratum Dominicæ , reginam & principem omnium dierum.* Denique Tertullianus , loquens de gentibus , ait (*de Idololatria c.* 14.) : *Non Dominicum diem , non Pentecosten , etiam si nossent , nobiscum communicassent , timerent enim , ne Christiani viderentur .*

Quæst. 3. Quare elegerunt Apostoli primam hebdomadæ diem , quam vocamus Dominicam , ut illam ad cultum divinum deputarent ?

Resp. Hæc dies multis de causis , quas Sancti Patres atque Concilia plenius referunt , in Ecclesia sanctificata fuit , & Dei cultui dicata , Sanctus Augustinus ait (*ser.* 25. *de tempore , to.* 10.) : „ Dominicum ergo diem A-
„ postoli , & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate
„ habendum sanxerunt , quia in eodem Redemptor noster
„ a mortuis resurrexit .... Apparet autem hunc etiam in
„ scripturis sanctis esse solemnem : ipse enim est primus
„ dies sæculi , in ipso formata sunt elementa mundi , in

„ ipso

„ ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque a mortuis re-
„ surrexit Christus, in ipso de cælis Spiritus Sanctus Su-
„ per Apostolos descendit, manna in eodem in Eremo
„ primum de cælo datum est. His enim speciebus, ac
„ talibus indiciis Dominica dies extat insignis; ac ideo
„ sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt omnem gloriam
„ Judaici sabbatismi in illam transferre; ut quod ipsi in
„ figura, nos celebraremus in veritate.

Denique, ut dicitur in 6. Synodo Constantinopolitana c. 8. apud Baronium in fine Apparatus ad Annales Ecclesiasticos; „ In eo die manna in Eremo pluit, in eo „ nasci dignatus est, in eo stella Magis refulsit, in eo „ de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia „ hominum pavit, in eo baptismum in Jordane susce- „ pit, in eo ipse pius redemptor humani generis sponte „ pro salute nostra a mortuis resurrexit.

CAPUT II.

De sanctificatione Dominicæ, & Festorum.

Quæst. I. QUomodo sanctificare debemus Dominicam & festos dies?

Resp. Hæc sanctificatio in duobus consistit, nempe in cessatione ab opere servili, & in officiis christianæ charitatis erga Deum, & proximum; &, ut ait sanctus Gregorius Papa (*l.* 12. *ep.* 3.): „ Dominico die a labore „ terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus „ insistendum: ut, si quid negligentiæ per sex dies agi- „ tur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expie- „ tur": Nam, ut ait S. Gregorius Nyssenus (*orat.* I. *De Oratione Dominica.*): „ Oratio, pudicitiæ præsi- „ dium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ se- „ datio, atque repressio, injuriarum tenacis memoriæ ex- „ purgatio, invidiæ profligatio, injustitiæ sublatio, im- „ pietatis correctio; Oratio corporum robur est, abun- „ dantia domus, recta juris ac legum in civitate consti- „ tutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, „ dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio: „ Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides; via- „ toribus scutum, dormientium custos, vigilantium fidu- „ cia, agricolarum fertilitas, navigantium salus: Oratio „ reorum, & causam dicentium patrona, noxiorum vin- „ ctorumque relaxatio, atque solutio, fatigatorum re- „ quies, mœrentium consolatio, gaudentium delectatio, „ lugentium solatium, nuptias contrahentium corona, „ natalitii festi celebratio, morientium funus: Oratio est „ conversatio & sermocinatio cum Deo, bonorum pro- „ gressus, & incrementum, malorum subversio, peccan- „ tium emendatio, præsentium fructus, futurorum com- „ prehensio.

Verum est, quod quotidie Orationi vacare debemus,

secundum Scripturam; ut diximus tom. 2. c. 10. q. 5. sed tamen Dies Dominicus principaliter Orationi consecrandus est, cum juxta Divum Augustinum (*serm.* 255. *de temp.*): „ Ideo Dominicus appellatur, ut in eo a „ terrenis operibus, & mundi illecebris abstinentes, „ tantum divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei „ huic honorem & reverentiam propter spem resurre-„ ctionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut i-„ pse Dominus Jesus Christus, & Salvator resurrexit a „ mortuis, ita & nos resurrecturos in novissimo die spe-„ ramus.

Denique Nicolaus Papa primus ad consulta Bulgarorum c. 11. ait: „ Sane sciendum est, quoniam idcirco „ in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut „ liberius ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis & can-„ ticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes „ offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imita-„ tionem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, „ eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christia-„ nus. Quæ omnia si quis negligens, otio tantum vaca-„ re voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos la-„ bores converterit, melius illi fuerat ipso die, Beati „ Apostoli Pauli præceptis obaudiens, laborare manibus „ suis, ut haberet, unde tribueret necessitatem patienti-„ bus.

Hinc Illustrissimus Stephanus Cosmus, Archiepiscopus Spalatensis, alias Salonitanus, Primas Dalmatiæ (*Syn. Spalat. an.* 1688.): „ Parochorum, Confessariorum, „ & ludi magistrorum industriam ac zelum requirit, ut „ piam ac vere christianam festorum observationem ur-„ geant, moneantque, quo pietatis sensu, quo Divini „ cultus exercitio dies festos celebrare oporteat, imo san-„ ctificare; ut Missæ sacrificio, præsertim in Parochiali „ Ecclesia, devota ac reverenti attentione assistant, Di-„ vinis item Officiis, præcipue vespertinis; diemque „ precibus, meditationibus, lectione spirituali, aliisque „ charitatis ac religionis operibus exigant: ac diligentis-„ sime abstineant a choreis, ludis, comessationibus, „ compotationibus, ebrietatibus, quibus Deus offenditur, „ quando deberet intentius coli; & Diabolo veluti sa-„ crificium offertur. Hac in re nostri temporis hæretici „ Catholicis, non sine causa, insultant; ipsi vero rigida „ prorsus sacrorum dierum observatione nobis veræ reli-„ gionis cultoribus ruborem injiciunt, imo exemplum „ præbent “.

Quæst. 2. Quænam sunt opera servilia, prohibita diebus Dominicis, & festivis?

Resp. Sanctus Thomas, triplicis generis opera dicit esse servilia (1. 2. *q.* 12. *ar.* 4. *ad* 3.): „ Est autem, „ *inquit*, servitus, qua homo servit peccato secundum „ illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati*; & se-„ cundum hoc, omne opus peccati dicitur servile. Alia

„ vero

„ vero servitus est, qua homo servit homini: est autem
„ homo alterius servus, non secundum mentem, sed
„ secundum corpus; & ideo opera servilia secundum hoc
„ dicuntur opera corporalia ... & hæc opera servilia pri-
„ mo, & secundo modo contrariantur observantiæ Sab-
„ bati, in quantum impediunt applicationem hominis
„ ad divina, & quia magis homo impeditur a rebus di-
„ vinis per opus peccati, quam per opus licitum, quam-
„ vis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum
„ agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud cor-
„ porale opus licitum facit ... Non autem qui peccat
„ venialiter in Sabbato, contra hoc præceptum facit,
„ quia peccatum veniale non excludit sanctitatem. O-
„ pera etiam corporalia in tantum servilia dicuntur, in
„ quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum
„ vero sunt communia servis & liberis, servilia non di-
„ cuntur.

Sanctus Antoninus ait (*p. 2. tit. 9. c. 7. §. 2. & 3.*):
„ Festum violatur, & male celebratur ex triplici negli-
„ gentia, seu defectu. Primo, quia non cavetur a defe-
„ ctibus criminalibus. Secundo, quia non inhæretur acti-
„ bus spiritualibus. Tertio, quia non abstinetur ab ope-
„ ribus manualibus .... Peccatum ergo mortale commis-
„ sum die festo, est multo gravius, quam alia die idem
„ peccatum, ratione festi: nam ultra propriam deformi-
„ tatem, puta furti, vel fornicationis & hujusmodi, ha-
„ bet specialem deformitatem ex illa circumstantia tem-
„ poris sacri, qua festum violatur. Unde talis (ut dicit
„ Nicolaus de Lyra super Exod. cap. 20.) non solum
„ agit contra unum præceptum, scilicet, Non mœchabe-
„ ris, aut illud, Non furtum facies, sed etiam contra
„ illud de sanctificatione sabbati.

Author vero libri de vera & falsa pœnitentia, qui san-
cto Augustino in Canone attribuitur (*Can. 1. de Pœnit. dist. 5.*), loquens de circumstantiis peccatorum, quæ in
Confessione explicandæ sunt, ait: „ Consideret qualita-
„ tem criminis in loco, in tempore, in perseverantia,
„ in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione,
„ & in ipsius vitii multiplici executione. Oportet enim
„ pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status,
„ aut officii, & secundum modum meretricis, & secun-
„ dum modum operis sui, & qualiter turpitudinem suam
„ peregit. Si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam
„ fidei, ut sunt domus dominorum & aliorum multo-
„ rum. Si in tempore orationi constituto, an in festivi-
„ tate Sanctorum, & in tempore jejunii. Consideret,
„ quantum perseveraverit, & defleat, quod perseveran-
„ ter peccaverit. Omnis ista veritas confitenda est, &
„ deflenda, ut cum cognoverit, quod peccatum est mul-
„ tum, cito inveniat Deum propitium.

Idem sentiunt Scotus in 3. sent. dist. 27. & 37. Ale-
xander Halensis, part. 3. quæst. 31. membr. 5. art. 2.
 ubi

ubi ait. *Qui fornicatur die Dominico, peccat duobus peccatis, secundum quod peccatum numeratur ratione reatus.*

His accedit doctissimus Alfonsus Tostatus Episcopus Abulensis, qui ait (*Tostatus, in cap. 20. Exod. q. 11. in fin. & q. 12.*) : „ Magis servile est opus peccati, quam „ opus humani negotii : magis celebritatem festi infrin- „ gemus in peccando, ut fornicando & occidendo, quam „ alios labores agricultivos nostris manibus exercendo . . . „ Ideo licet ab utroque abstinendum sit, magis tamen „ ab iniquis operibus, quam a corporalibus laboribus. „ Ex hoc sequitur, quod qui die Dominica adulteratur, „ aut occidit, vel inebriatur, magis peccat, quam si a- „ liis diebus idem ageret; quia sic transgressor est dupli- „ cis praecepti, scilicet, Non occides, aut cujuslibet al- „ terius, & hujus, scilicet, quia non observat diem Do- „ minicam.

Hæ tantorum virorum sententiæ nos inducere debent ad sanctificandum omni cum studio & diligentia diem Dominicum, reliquosque dies festos, & ad abstinendum non modo ab operibus servilibus pure corporalibus, verum etiam ab iis, quæ animam nostram Dæmonis, & peccati servam efficiunt. Quare Sacerdotes, & Ecclesiastici ministri sæpius hortari debent populum, ut his diebus omnes peccati occasiones fugiant, ut sunt choreæ, comœdiæ, ut inferius dicemus; ne criminibus suis primariam Dei & Ecclesiæ intentionem in hac præcepti observatione impediant, nimirum ut sanctificentur Christiani, & excitentur, ac impellantur ad hos dies divino cultui consecrandos, seque vere convertendos ad Deum per orationes suas & opera bona.

Concilium Meldense (*an. 845. sub Sergio II. cap. 77.*) paucis complecti videtur omnia opera servilia corporalia, quæ festis diebus peragi nequeunt, dum ait : „ Feriatos es- „ se decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpenta- „ rio, gyneceo, cæmentario, pictorio, venatorio, fo- „ rensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigen- „ dis : quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto li- „ berius omnibus Christianis sanctæ resurrectionis laudibus, „ & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat; quod „ si quis temere præsumpserit, excommunicetur “.

Multa sunt alia Concilia, quæ eadem repetunt decreta pro cessatione operum servilium diebus Festis, & ad indicandam obligationem, qua tenemur omnes Christiani illis diebus divino cultui vacare. Et ultimis temporibus Beatus Pius Papa quintus, in Constitutione 5. quæ incipit, *Cum primum* §. 7. eadem renovat decreta in antiquis Canonibus hac de re contenta : „ Cum vero, *in-* „ *quit*, dierum Festorum observatio ad Dei cultum ma- „ xime pertineat, & in lege divina præcipiatur; cupien- „ tes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia inva- „ luerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum

„ sta-

„ ſtatuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Domi-
„ nici, & præcipue in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virgi-
„ nis, & Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni vene-
„ ratione obſerventur; & omnes in diebus præfatis Eccle-
„ ſias frequentent, divinis Officiis devote intendant, ab
„ omni illicito & ſervili opere abſtineant, mercatus non
„ fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum ſtrepitus
„ conquieſcant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod
„ illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ul-
„ tionem, & miſſionem animalium, quibus ad vecturam
„ utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio noſtro.

Sanctus Carolus, eodem ſanctitatis zelo fervens, in Concilio Mediolanenſi primo, ait (*Conſt. p.* 1. *tit. ult. de feſtor. dierum cultu*): „ Maximam in eo diligentiam
„ ac ſtudium Epiſcopi ponere debent, ut dies feſti pie
„ ſancteque obſerventur ab omnibus. Cum enim ii po-
„ tiſſimum ad celebrandas Dei & Sanctorum laudes ſalu-
„ tariter inſtituti ſint, curandum eſt etiam diligenter,
„ ut ne iis ipſis quiſquam ad divinam offenſionem, & ani-
„ mæ ſuæ perniciem abutatur. Prohibeant igitur, ne il-
„ liberales artes exerceantur, aut ullum opus fiat ab eo
„ tempore alienatum. Ne quid ematur, aut vendatur,
„ præter id quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum
„ curationem neceſſarium ſit. Ne officinæ aut omnino,
„ aut aliqua ex parte apertæ habeantur. Ne fiant nun-
„ dinæ, ſed quæ feſto die fieri conſueverunt, in antece-
„ dentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit,
„ transferantur. Qui ſecus fecerit, ſevere plectatur Epiſco-
„ pi arbitratu. Iis etiam diebus ſtudebunt Epiſcopi, ne
„ perſonati homines incedant: ne ludi equeſtres, certa-
„ mina, aut alia ludicra & inania ſpectacula adhibean-
„ tur: choreæ, ſaltationes, in urbibus, ſuburbiis, oppi-
„ dis, vicis, aut uſquam omnino agantur. Doceant ve-
„ ro populum, debere unumquemque eo potiſſimum tem-
„ pore in divinis Officiis, & concionibus audiendis fre-
„ quentem eſſe, ac in precibus, recolendiſque Dei ma-
„ ximis beneficiis aſſidue verſari ".

Quæſt. 3. Licet-ne diebus Dominicis, aut feſtis iter peragere, ſeu ſuſcipere?

Reſp. Quoniam quidem iter agere, ſeu ſuſcipere, plurimum impedit ab applicatione Deo debita in his diebus Deo conſecratis, & Sanctorum venerationi, nemo leviter iter ſuſcipere debet hoc tempore. Unde Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis loquens de die Dominica, ait (*ad Presb. Aurelian. c.* 24. *apud Ant. Auguſt. in epitome veteris juris lib.* 20. *tit.* 9. *c.* 10. *ann.* 797.): „ Tanta
„ debet eſſe obſervantia, ut præter orationes, & Miſſa-
„ rum ſolemnia, & ea, quæ ad veſcendum pertinent, ni-
„ hil aliud fiat. Nam etſi neceſſitas fuerit navigandi, ſi-
„ ve itinerandi, licentia datur ita dumtaxat, ut hujus
„ occaſione Miſſæ, & orationes non prætermittantur ".

Sanctus etiam Antonius ait (2. *p. tit.* 9. *c.* 7. §. 5.):

Item abstinendum est ab itinere dietario, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat.

Denique S. Carolus in Concilio Mediolanensi (5. *Const. part.* 1. *tit. quæ ad dies festos & sacra tempora pertinent.*) dicit: „ Ne quis diebus Dominicis, festisque ex „ urbe, oppido, aliove loco, cum iter facturus est, an„ te discedat, quam Missæ sacrificio interfuerit, nisi ad „ eum locum proficiscatur, ubi in tempore interesse pos„ sit. Ecclesiastici vero homines, quicumque sint, & „ ii præsertim, qui divinorum officiorum celebritatibus „ in Choro adesse debent, videant, atque adeo caveant, „ ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosis„ que pietatis officiis, & in Ecclesia potissimum a Cle„ ro consumi oportet, iter nisi ob urgentem causam su„ scipiant; ut hoc eorum exemplo excitati fideles, sa„ cris illis diebus a divinis Officiis opere itinerario non „ avocentur ".

Quæst. 4. Choreæ, tripudia, saltationes, comœdiæ, & alia hujusmodi spectacula sunt-ne licita diebus festis?

Resp. Cum hæc omnia ut plurimum sint peccati occasiones, vel saltem impediant quominus Christiani vacent rebus spiritualibus, quæ ad Dei cultum & propriam salutem pertinent; sacra Ecclesiæ Concilia sæpius instituerunt ne iis incumberent fideles, præsertim diebus festis, ne talibus jocis, aut ludis, Paganis potius quam Christianis convenientibus, profanarentur. Concilium Toletanum, relatum in Canone, ait (*Can. Irreligiosa, de consecr. dist.* 31.): „ Irreligiosa con„ suetudo est, quam vulgus per Sanctorum solemnita„ tes agere consuevit: populi qui debent officia divina „ attendere, saltationibus & turpibus invigilant canti„ cis, non solum sibi nocentes, sed & religiosorum Offi„ ciis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hispania „ depellatur, sacerdotum, & judicum a Concilio sancto „ curæ committitur ".

Sanctus autem Carolus volens sacrilegas has profanationes dierum Dominicorum, & Festorum prorsus extirpare, in Concilio Mediolanensi, ait (*t.* 1. *de festorum dierum cultu*): „ Quoniam autem usu jam hac in provincia „ nimis compertum est, depravatis his temporibus, & „ moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, & id ge„ nus alia numquam fere conveniri sine multis, & iis qui„ dem gravissimis Dei offensionibus: idque cum ob turpes „ cogitationes, obscœna dicta, inhonestas actiones, mo„ rum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis „ illecebras, illis perpetuo conjunctas; tum propter cæ„ des, rixas, diffidia, stupra, adulteria, aliaque mala „ plurima inde consequentia quam sæpissime. His tot of„ fensionum & peccatorum seminariis locum dare iis præ„ sertim diebus, qui dies propitiationis sunt, & iis ipsis „ diebus fideles plerosque nefariis istis sane blanditiis „ illectos, a divinis Officiis religiosis supplicationibus,

„ le-

„ lectionibusque sacris abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, aliosque ab aliis Christianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religiose incumbendum est, abstrahi & amoveri: hoc certe gravissimum est in conspectu Dei & Ecclesiæ. Quare festis iis diebus, saltem horis quibus divina celebrantur Officia, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item comœdiæ, ludi scenici vel theatrales, hastiludia, & alia cujusvis generis spectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones, præstigias suas, inaniaque spectacula agant, neque quidpiam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu ".

Concilium Turonense (*an.* 1583. *tit. de festorum cultu &c.*) deplorans profanos hos abusus, eos censuris Ecclesiasticis abolere conatur, cum ait: „ Diebus Dominicis præsertim & aliis festis, comessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri, venatu & aucupatu tempus terere, in hospitiis seu cauponis aliis, quam peregrinis, cibaria & vinum ministrari, ludos palmarios, & alios (maxime dum sacra conficiuntur, laudesque Deo decantantur) aperiri; comœdias, ludos scenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pœna prohibet hæc Synodus; præcipitque omnibus & singulis Parœciarum rectoribus, eos apud Episcopum deferre, qui huic decreto non paruerint, ut illius ordinatione nominatim denuncientur, & publicentur: valde enim absurdum est, fideles iis diebus, qui propitiando Deo sunt destinati, fallacibus istis satanæ blanditiis illectos, a divinis officiis, supplicationibusque sacris abduci ".

Eodem plane spiritu in Concilio Bituricensi (*ann.* 1584. *Can.* 6.), „ Prohibetur populus prophana sodalitia, & comessationes, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos iisdem diebus festis exercere ".

Concilium Aquense (*an.* 1585. *de festorum dierum cultu*): „ Comessationes vero, ebrietates, lusus improbos, & inhonestos, choreas, turpes cantilenas, omnemque denique luxum, & lasciviam, atque omnem festorum profanationem damnamus, & reprobamus. Denunciari autem volumus a Curatis eo die, de quo conventus fiet, omnes ex hujus Synodi decreto excommunicandos, qui per contemptum festorum, & Ecclesiæ, aut per contumaciam, prædictis rebus, & non servitio divino vacaverint ".

Et Episcopus Novariensis, Sancti Caroli olim familiaris, & illius doctrinæ sectator fidelis, sic prohibet in Edicto de observatione Festorum (*Carolus Bascapè Episcop. Novar. in Edicto, anno* 1595. *olim dictus Jo. Franciscus a Basilica Petri.*): *Festis diebus non fiant larvæ, comœdiæ, ludi luctatorum, choreæ, hastiludia, aut alia hujuscemodi spectacula, aut ludi publici.*

E nelli Ordini dati a' Vicarii foranei, lettera 38. Fate ogni opera per impedire i balli in tutte le Terre, ancora fuori del tempo de' divini Uffizj; e minacciate, che faremo cessare le sante Messe, dove vedremo ostinazione di mantenere questo seminario di peccati.

In celebri Concilio Neapolitano (*an.* 1576. *c.* 10.) sic statuitur: „ Instruant Episcopi, seu Parochi populum, „ ut festis diebus, a ludis equestribus, certaminibus, „ choreis, & saltationibus, in Urbe, vel alibi se cohi„ beant; quin potius Divinorum Officiorum, & concio„ num sit quisque auditor assiduus, ne, quod maxime „ dolendum est, in populo gravi, id est, in hæreditate „ Christi, jure illud spiritualiter impleatur, quod olim „ in spiritu defleverat Jeremias: *Viderunt eam hostes*, „ *& deriserunt sabbata ejus*. Derident enim dæmones „ haud dubium christianas plebes, cum vident, inde „ per prævaricationem legis Deum inhonorari, unde „ Ecclesia ad laudes, & gratias tantæ majestatis, filios „ suos excitare conatur.

Hinc etiam in Synodo Derthonensi (*ann.* 1687. *de festorum cultu.*) sic statuitur: „ Choreas diebus festis o„ mnino vetamus, maxime vero in plateis circum ipsas „ Ecclesias, & Divinorum Officiorum tempore, sub pœ„ nis arbitrio nostro infligendis, aliis semper jam statu„ tis in suo robore permanentibus, usque ad excommu„ nicationem in subsidium.

„ Quoniam vero usu compertum est, præsertim in „ hac nostra diœcesi, choreis, & saltationibus sacra hæc „ tempora violari, etiam sub prætextu spicas a messoribus „ relictas æstivo tempore colligendi ad Ecclesiarum adju„ mentum, dum interim in agris tripudia cum citharædis „ peraguntur, non sine gravi Dei offensione & animarum „ detrimento; hæc omnia prohibemus, tanquam satanæ „ inventa, pœna etiam interdicti Ecclesiastici transgres„ soribus proposita, absque nostra facultate quoad spicas „ evellendas, quam nonnisi cum magna advertentia, & „ justa causa, sublatis hisce profanitatibus, concedemus.

In Synodo Cæsenatensi Eminentissimi Cardinalis Denhoff, (*an.* 1693. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 16.), variæ hujusmodi prohibitiones pro diebus festis continentur, his verbis: „ Pro„ hibemus etiam quod jam Eminentissimus D. Cardinalis „ Ursinus, Ecclesiæ hujus Cæsenatensis vigilantissimus An„ tistes, Edicto suo de observantia festorum prohibuerat, „ circulatoribus, circumforaneis, pharmacopolis, comi„ cis actoribus, funambulis, cæterisque hujusmodi fari„ næ hominibus, & festis diebus theatra conscendere, ludos „ apparare, & exhibere, medicamenta in publico vende„ re,

(*) Nelle feste non si facciano mascherate, commedie, giuochi di scena, balli, tornei, o altri simili spettacoli, e giuochi pubblici.

„ re, aut dispensare; nec non hastiludia fieri, ad ejusdem Edicti præscriptum. Si quis ex præfatis histrionibus hæc sancita violaverit, pœna quinque aureorum mulctabitur, & crescente contumacia, etiam carcere punietur. Ii vero, qui in festivitatibus hastiludia exercebunt, pœnam decem aureorum luent, ac pariter, crescente contumacia, pœna majori ad obedientiam revocabuntur.

„ Interdicimus quoque, inhærendo mox laudato Edicto Eminentissimi Domini Cardinalis Ursini, ne festis diebus choreæ in publico agantur, aut quævis saltationes fiant: locum vero publicum illum vocamus, ad quem hominum multitudo concurrere potest; atque ideo non solum compita, & plateæ eo nomine intelligi debent, sed etiam domorum area, & quæcumque alia loca oculis multitudinis exposita. Qui authores hujusmodi tripudiorum fuerint, vel instrumenta musica pulsaverint, pœnam sex aureorum subibunt: actores vero, trium aureorum.

„ Pœnam item sex aureorum luent patres familias, & domorum conductores, qui apud se iis diebus tolerabunt ludum publicum foliorum lusoriorum, aut tesserarum, seu aleæ. Ipsi lusores, duorum; spectatores autem unius aurei pœnas dabunt: quarum quarta pars secreto delatori cedere debebit.

„ Iisdem etiam respective subjicientur pœnis ludentes, & permittentes supradictos ludos, ac eis assistentes in tabernis, in cellis vinariis, in plateis, & locis publicis, tam in Civitate, quam in tota Diœcesi ".

Præterea in Synodo ad Montemfaliscum ab Eminentissimo, & omni mea laude superiori, Marco Antonio Cardinali Barbadico, congregata (*ann.* 1692. *c.* 11.), sic statuitur: „ Libros, imagines, larvas, medicamina, quæ a circulatoribus circumferri solent, nemo venialia exponere audeat diebus Deo dicatis: quibus etiam aleis, seu taxillis ludere, & choreas ducere prohibemus. Si quis nostrum neglexerit imperium, præter mulctam, etiam corporis pœnas luet.

„ Histriones, mimi, scurræ & hujusmodi, sibi interdictum esse sciant tabulata, aut equos ascendere, vel populum quoquo modo congregare, non solum diebus festis, sed etiam singulis sextis feriis, & toto quadragesimali tempore; quod si nostris mandatis non paruerint; præter corporis pœnas, vigintiquinque aureos locis piis applicandos solvent ". Videatur Edictum de festorum observatione, in fine hujus Tomi 6.

Denique Regum Galliæ decreta & statuta detestantur profanas has festorum dierum violationes: quæque Aureliæ facta sunt, art. 25. ajunt: *Præcipimus* omnibus judicibus, ne diebus Dominicis ac festis annuis, & solemnibus, fieri permittant nundinas, mercatus, choreas; utque severe puniant transgressores. Statuta Blesen-

sensia, art. 38. judicibus omnibus rigorose præcipiunt, ut Aurelianensia decreta servent, quæ nundinas, mercatus, choreasque festis diebus prohibent, & theatrales ludos, circulatores, caupones, ludi palmarios, & gladiatores, seu gladiatorios ludos, sub pœnis in eisdem Decretis contentis. Quæ omnia Decreta a Ludovico XIV. nunc regnante, Concilii status decreto confirmata sunt 23. Julii anno 1666.

Videntes, non sine magno dolore, tales choreas in Diœcesi Vasionensi nimis frequenter agitari, præsertim diebus Dominicis, & festivis, easque, tanquam omnis impudicitiæ periculosum incentivum, reprimere satagentes, sequens Edictum publicari curavimus.

„ Agnoscentes, profanas illas violationes dierum Do-
„ minicorum, & Festivorum, quæ passim in Diœcesi no-
„ stra fiunt, divinis muneribus, & gratiis magnum obi-
„ cem ponere idcirco, sacri Concilii Tridentini Decre-
„ tis, statutisque a sancto Carolo promulgatis inhærentes:
„ Prohibemus in Diœcesi nobis commissa omnes, &
„ quascumque choreas inter diversi sexus personas diebus
„ Dominicis, & Festivis: ordinantes, ut omnes Paro-
„ chiarum Rectores, seu Curati, præsentis Edicti execu-
„ tionem sedulo promoveant: Prohibentes, ne, sine li-
„ centia nostra, proclamationes ante matrimonium, seu
„ publicæ denunciationes in Ecclesia fiant pro illis, qui
„ choreas agitando diebus Dominicis, aut Festivis, &
„ præsertim in festo Patroni cujuslibet loci, hoc Edictum,
„ post ejus legitimam publicationem, infregerint. Præ-
„ terea, cum necesse sit, ut, qui Patrini, aut Matrinæ
„ sacrum munus sustinent, pompis Diaboli renunciave-
„ rint; inhibemus omnibus Parochis, & aliis quibus-
„ cumque Presbyteris sacramenta in nostra Diœcesi ad-
„ ministrantibus, ne eos, aut eas in Patrinos, aut Matri-
„ nas in Baptismo admittant, qui, vel quæ præsenti E-
„ dicto non paruerint; ut & puellas, quæ nudo & aper-
„ to pectore publice conspiciuntur. Datum Vasione in
„ Palatio Episcopali die 7. Augusti anno 1686. “.

Franciscus Episcopus Vasionensis.

Moralis Secretarius.

Quidam Vasionenses, adversus hoc Edictum, & alia Decreta a nobis in Synodo publicata, appellationem interposuerunt ad Sacram Congregationem Concilii: sed eorum conatus, Deo juvante, frivoli & inutiles evaserunt: imo majus exinde his Decretis robur accrevit, accedente honorifico testimonio approbationis Sanctissimi Pontificis Innocentii Undecimi. Cujus rei fidem authenticam apud nos servamus, his verbis exaratam.

„ Nos infrascripti testamur, recursum habitum fuisse ad
„ Sacram Congregationem Concilii anno 1687. pro obti-

„ nen-

„ nenda rescissione Edictorum Synodalium Illustrissimi „ & Reverendissimi Episcopi Vasionensis, circa choreas, „ ludos alearum, & gestationem vestis talaris. Cum ve„ ro causa proponenda esset die 20. Decembris, mandavit „ sanctæ memoriæ Papa Innocentius XI. ne sancta Con„ gregatio quidquam sanciret contra Edicta prædicta: ut „ constat ex schedula hic annexa, cujus exemplum ex „ autographo extractum est. Id totum constare ex actis „ a nobis visis, quæ asservantur in registris Sacræ Con„ gregationis Concilii, fidem facimus". Romæ 17. Januarii 1693. Summus Pontifex jussit, ut Illustrissimus D. Laurentius Casonus (tunc arcanarum Epistolarum, & Congregationis consistorialis Secretarius, modo in Regno Neapolitano Pontificius Nuncius) suam hac in causa mentem Sacræ Congregationi, per ejusdem Congregationis Secretarium aperiat, his verbis:

„ *Summus Pontifex jubet, ut notum faciam Dominationi vestræ Illustrissimæ, quod Sanctitatis Suæ hæc est intentio, ut scilicet S. Congregatio nihil contrarium decernat prohibitionibus factis ab Episcopo Vasionensi, circa choreas, ludos, & vestes breviores; non putans æquum esse, ut Romæ reprobetur id quod a multis magni nominis Episcopis in praxim deductum fuit, & a bene multis Conciliis ordinatum, die* 20. *Decembris anno* 1687.

„ *Laurentius Casonus.*

„ *Ego Hieronymus de Moscarolis, testor, ut supra, manu propria.*

„ *Ego Ferdinandus de Signoribus, testor ut supra.*

„ Nostro Signore mi comanda di far sapere a V. S. Illustriss. esser sua intenzione che la Sacra Congregazione non prenda alcuna risoluzione contraria alle proibizioni fatte da Monsignor Vescovo di Vaison intorno al ballo, al giuoco, ed al vestito di curto: non estimando, che debba disapprovarsi da Roma quello ch' è stato praticato da tanti gran Vescovi, ed ordinato da moltissimi Concilj, 20. Decembre 1687. Lorenzo Casoni.

Videri possunt, quæ dicta sunt infra tr. 5. c. 2. n. 6. & 12.

In celebri Synodo Farfensi (*sub Carolo Card. Barberino pag.* 462.) publicatum fuit Edictum ad extirpandos hujuscemodi abusus, his verbis:

„ *Prohibiti sunt in dictis diebus festivis omnes ludi aleatorii, seu qui a*

„ Siano anco proibiti in detti giorni, nelle piazze, strade, osterie, ed al-

„ *fortunæ pendent, videlicet, qui exercentur cum pagellis pictis, aut tesseris aleatoriis, & hujusmodi; in triviis, seu foris, plateis, seu vicis, cauponis, aut aliis locis publicis; sub pœna trium nummorum, seu scutorum, incurrenda a ludentibus, & unius nummi a ludi spectatoribus. Sint etiam omnino prohibitæ choreæ in dictis diebus, sub pœna trium nummorum, incurrenda a choreæ patronis, & unius nummi a saltantibus.*

„ tri luoghi publici, tutti li giuochi di fortuna, come di carte, dadi, e simili, sotto pena di scudi tre a quelli, che giuocheranno, e d' uno scudo a quelli, che saranno presenti. Come anco affatto proibiti li balli in detti giorni, sotto pena di scudi tre alli Signori delle feste, che fanno ballare, e d' uno scudo a quelli, che balleranno.

Et in accurata Synodo Albanensi a Flavio Cardinale Chisio celebrata anno 1687. (*pag.* 237.) sic etiam statuitur:

„ *In diebus festivis prohibemus, sub pœna nummorum decem, in plateis, seu compitis, & viis, locisque publicis, in quibus aliquod potest insurgere scandalum, aut reperiri occasio depravationis morum, non solum ludos chartarum, tesserarum aleatoriarum & alios a sorte pendentes; sed etiam scenas, aut histrionum, & circulatorum spectacula, & choreas, aliaque hujusmodi vana opera, quæ fideles a cultu divino retrahunt.*

„ Nelli giorni di festa proibiamo sotto pena di scudi dieci, nelle piazze, strade, e luoghi publici, ne' quali può insorgere qualche scandalo, o pure occasion di depravazion di costumi, non solo li giuochi di carte, dadi, ed altri di fortuna; ma altresì le scene, o spettacoli d' istrioni, e cantimbanchi: come parimente li balli, ed altre simili azioni di vanità, che ritraggono li fedeli dal culto Divino.

Præterea in egregia Synodo Auximana Cardinalis Antonii Mariæ Galli (*anno* 1553. *de festorum cultu, pag.* 38.), sic decernitur: „ Choreas, saltationes, præsertim „ publicas, ludos, aliasque profanas actiones, & inania „ spectacula, etiam in honorem Sanctorum, aliove quo- „ vis prætextu introducta, penitus prohibemus: cum in „ his non honoretur, sed potius offendatur Deus: dies „ autem festi spiritualis commodi, non profanæ volupta- „ tis gratia, sunt instituti.

„ Mimi, histriones, & præstigiatores, aliique circum- „ foranei circulatores, suam artem exercere diebus festis „ prohibeantur; nec imagines, libros, aliasve merces „ populo venales proponant, nec circumferant".

Et in accurata Synodo, quam Eminentissimus Fabritius Cardinalis Paulutius celebravit, dum Maceratensi Ecclesiæ præerat, sic decernitur (*Syn. Macerat. ann.* 1657. *t.* 1. *c.* 3.): *Choreæ, & saltationes publicæ, aut privatæ, nunquam in die festo, aut veneris exhibeantur.* Quod in Edicto Cardinalis Dominicus Maria Cursius prohibet his verbis (*Syn. Arim. ann.* 1696. *in addit. pag.* 189.): *Affatto siano proibiti li balli in detti giorni di festa, sotto pena di scudi tre.*

De carnisprivio autem sic loquitur celebris Episcopus Amerinus (*ann.* 1595. *c.* 750.): „ Pronum sponte sua „ ad voluptates humanum ingenium, si publico insuper „ consensu, moreque impellatur, in omnia præceps vi- „ tia, corruptelasque ruit. Hinc factum (adeo nos pra- „ va pervertit consuetudo) ut septuagesimam inter, & „ Quadragesimam interjecti dies, quos Sancta Mater „ Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funebresque „ habet, prævalens lasciviæ, risus, hilaritatis amori, non „ in lætitiam solum, inconditumque gaudium verterit, „ sed pene communi cuidam insaniæ dedicarit: eoque „ provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos ma- „ gistratus traxerit; & quod ne privato quidem cuique „ ulla bene morata Civitas concederet, id penitus jam „ publica authoritate nitatur; & populi, velut obliti no- „ minis quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ri- „ tus, moresque degenerarint. Et quemadmodum certos „ illæ dies Saturno, & Pani, impiæ vanitatis, ac su- „ perstitionis Diis sacratos, Saturnalia, Lupercaliaque „ nominarunt, in quibus juvenes nudos per urbem di- „ scurrere, procaciterque lascivire in honorem ejus Dei „ fas erat: ita nos verius & ab ipsa re ducto vocabulo, „ hos ipsos publicæ amentiæ dies Carnevalia appellave- „ rimus. Quo tempore nequius, corruptiusque excogita- „ ri nihil potest, nihil quod magis omnium flagitiorum „ licentia sit imbutum; cum homines alioquin minime „ leves, minimeque impuri, a se alienum nihil putent, „ quod a modestia, gravitate, honestate alienissimum „ sit. Atque illud quoque mos improbus obtinuit, ut „ scenici ludi, spectacula, saltationes, larvatorum fœdæ „ personæ, maxime in festos dies conferantur. At nos „ hæc omnia a sanctis Ecclesiæ institutis abhorrentia, „ si aboleri nequeant, festis utique diebus intermitti „ prorsus jubemus ".

Cardinalis Federicus Sfortia, in Synodo Ariminensi (*ann.* 1654. *c.* 3. *t.* 1.), sic expresse statuit: „ Prohibe- „ mus circulatores, mimos, comicos, histriones omnes, „ diebus festis, & feria etiam sexta præstigias suas exer- „ cere, aut aliquid, ne medicinæ quidem nomine, cre- „ dulæ plebi vendere: ludos scenicos, comœdias, aut „ alia hujusmodi spectacula agi ".

Alexander Sperellus, Episcopus Eugubinus, variis, præclarisque editis libris celeberrimus, in Synodo decernit

nit (*Syn. Eugubina anno* 1656. *tit.* 18. *cap.* 5.), „ ut
„ saltationes, & choreas, unde multa flagitiorum semina
„ sparguntur, Parochi perpetuo detestari non desistant.
„ Nos vero, *inquit*, illa prorsus interdicimus, ne ulla-
„ tenus fiant, & ducantur occasione festorum dierum, &
„ sacrarum solemnitatum.

Cardinalis Julius Spinola mandat in Synodo Sutrina (*anno* 1671. *c.* 8.), ut „ moneant Parochi fideles, esse
„ penitus absurdum, choreis, comessationibus, pernicio-
„ sis spectaculis, aliisque similibus in festivitate vacare;
„ ne ipsi, quod esset nimis deplorabile, eo tempore, quo
„ possunt aquam vitæ, & gratiæ salutaris de fontibus
„ Salvatoris haurire, in comessationibus, & ebrietatibus,
„ in rixis, & voluptatibus vitam ducentes, in interitu
„ eorum a Domino subsannentur ".

Cardinalis Antonius Bickius, in Synodo Auximana (*ann.* 1661. *c.* 4. §. 6.), sic statuit: „ Choreas, saltationes,
„ præsertim publicas, & spectacula, præcipua culparum
„ offendicula, prohibemus: neque volumus, mimos, cir-
„ culatores, aliosque histriones artem suam diebus festis
„ exercere, aut merces circumferre, & populo venales
„ apponere ".

S. Carolus talium rerum perniciosa damna cognoverat (*Decretum Caroli Card. S. Praxedis Visitatoris Apostolici Diœcesis Brixiensis an.* 1583. *c.* 41.); ideoque & pro sua Diœcesi damnaverat, & dum munus Visitatoris Apostolici in Diœcesi Brixiensi impleret, monuit graviter Episcopum: *De ablegandis spectaculis, choreis, saltationibus, circulatoribus, ludis, & comessationibus, idque genus aliis ab hujusmodi dierum sanctitate alienis.*

Et in Titulo, de Populo, monuit iterum Sanctus Visitator: „ De integro, sancto, & religioso cultu dierum
„ festorum, rejectis omnino nundinis, mercatibus, cho-
„ reis, ludis, spectaculis, circulatoribus, & aliis rebus
„ illorum dierum sanctitate, & fine, ad quem instituti
„ sunt, indignis; constituta pœna interdicti ab ingressu
„ Ecclesiæ ipso facto incurrenda, & alia gravior etiam,
„ Reverendissimi Episcopi arbitratu, proposita sit, si
„ unquam deinceps die festo Patronorum Sanctorum
„ Faustini, & Jovitæ, aut Patroni cujusque loci, tor-
„ neamenta, vel alia spectacula publica exhibeantur,
„ quacumque authoritate, jussu permissuve. Quæ pœ-
„ næ, & censuræ locum habent & in iis, qui jusserint,
„ facultatemve dederint, & in iis, qui ipsa torneamen-
„ ta, spectaculave exercuerint ".

Novissime Illustrissimus Josephus Crispinus, Episcopus Amerinus, in Diœcesibus Albanensi, & Prænestinensi Visitator Apostolicus, in Decretis collectis, & duabus Epistolis Clementinis Summi Pontificis aptatis singulari cum eloquentia, sic statuit (*Decreti generali della Visita Apostolica*, 1704. §. 10.): *Decretiamo, ed ordiniamo, che ne' giorni festivi, e particolarmente per*

occasione di celebrazioni di Feste, nessuno ardisca di far balli, festini, maschere, e rappresentazioni profane, sceniche, giostre, tornei, o altro qual si sia profano spettacolo.

Choreas in diebus festivis a sua Diœcesi eliminare jam pridem studuerat dignissimus Episcopus Odescalcus, dum sequens Decretum edidit (*Syn. Alex. ann.* 1606. *Decret.* 3.): „ Ut ii, qui diebus festis, & choreis & saltationibus vacant, intelligant, quam graviter peccent: Parochi in promulgatione Edicti de observantia festorum, manifestent pœnam, quam Sacri Canones hujusmodi hominibus imponunt". Emendationem polliciti, per tres annos pœnitentiam agant, vel, ut in Græco codice legitur: si Clericus sit, deponatur, si vero laicus, excommunicetur: *Nam ex magnitudine pœnæ, peccati gravitas agnoscitur.*

Unde Cardinalis Jo. Baptista Lenius, in Synodo Ferrariensi (*ann.* 1612. *de dier. fest. observ.*), statuit, ut *choreæ omnes, & saltationes diebus festivis vetitæ sint.*

Et in Synodo Lunensi & Sarzanensi Cardinalis Benedicti Lomellini (*an.* 1568. *c.* 2.), decernitur, ut *diebus festis omnes a ludis, comessationibus, tripudiis, choreis, nebulonibusque se abstineant.*

Cardinalis quoque Paulus de Aretio, in Synodo Placentina (*anno* 1570. *de dier. fest. cultu*), statuit, ut „ Parochi crebris cohortationibus moneant, ut fideles choreis, saltationibus, & ludicris spectaculis abstineant; propterea quod gravissime peccent, cum tempus, quod Deo, ejusque cultui debent, ad eas actiones traducunt, unde omnia peccandi materia existit".

Demum Cardinalis Gaspar Borgia, in Synodo Albana (*ann.* 1641. *de festorum cultu*): „ Choreas, & vanas repræsentationes, *inquit*, atque alia ludicra, seu theatralia spectacula, in festis, ac etiam Quadragesimalibus, & Adventus diebus interdicimus: ludum alearum, & taxillorum, præsertim publicum, sub pœna scutor. 25. & aliis gravioribus prohibemus. Quas pœnas ad permittentes hujusmodi ludos prædictis diebus in eorum domibus extendimus".

Quæst. 5. Quibusnam rebus vacandum est diebus Dominicis, & festivis?

Resp. Cum illi dies cultui divino, & Sanctorum venerationi dicati sint, in illis consequenter pietatis officiis penitus vacandum est; & ut habet Catechismus Romanus (*Catech. Conc. Trid. p.* 3. *de* 3. *præcept. Decal. n.* 16.): „ Non operaberis; neque vero id solum significat (taliter enim satis fuisset dicere in Deuteronomio, *Observa diem Sabbati*) sed cum in eodem loco addatur, *ut sanctifices eum*; hoc verbo ostenditur, sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, & sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem sabbati tunc plene & perfecte celebramus, cum pietatis & religionis officia Deo præstamus".

Id

Id ipſum patet ex tota Eccleſiæ traditione. Dicitur enim in Canone (*Can. Jejunia, de conſecr. diſt.* 3.): „ Die autem Dominica nihil aliud agendum eſt, niſi Deo „ vacandum; nulla operatio in illa die ſancta agatur „ niſi tantum hymnis, & pſalmis, & canticis ſpirituali„ bus dies illa tranſigatur “.

Verum inter cætera Concilia, quæ illa pietatis officia recenſent, quæ iis diebus Deo conſecratis exerceri debent, illa plenius explicat Concilium Aquenſe (*anno* 1585. *tit. de feſtor. dierum cultu*), & quidem ſecundum uſum ac conſuetudinem piorum hujus ſæculi virorum, cum ait: „ *Doceantur vero populi* crebro ab his, ad „ quos pertinet, ut feſtos dies, qui Dei cultui dicati „ ſunt, in divinis officiis, concionibus audiendis, nec„ non in orationibus, maximiſque ac continuis Dei erga „ nos beneficiis recolendis, ſancte ac pie tranſigant: „ præſertim ut præter Miſſam, quæ ſine graviſſimi pec„ cati culpa prætermitti non poteſt: præter veſperas item „ quibus fidelem quemque, niſi impeditum, intereſſe „ maxime convenit: in Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis, „ omnes tam mares, quam fœminæ, tam viri, quam „ pueri, vel perdiſcendis, ſi illa ignorent, vel aliis per„ docendis verſentur “.

Quare Patres & Matres, Heri & Heræ partem aliquam temporis his diebus deberent impendere, ut viderent, ſi principiis Chriſtianæ religionis ſufficienter imbuti ſint ii, qui ſuæ curæ commiſſi ſunt, ac procurare, ut Catechiſmum, ſeu Doctrinam Chriſtianam frequentent, ejuſque deinde rationem ab iis exigere, memores verborum Apoſtoli, qui ait (1. *Tim. c.* 5.): *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Verum præ cæteris pietatis officiis Dominicis, feſtiſque diebus exercendis, in primis frequentari debent Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ: nec utilius ſanctum hoc tempus impendi poteſt, quam in accurata vitæ & actionum ſuarum diſcuſſione, & reconciliatione cum Deo per Pœnitentiæ ſacramentum. Ut enim ait S. Antoninus (*p.* 2. *tit.* 9. *c.* 7. §. 4.): *Inter cætera debent homines vacare compunctioni, & contritioni peccatorum ſuorum, recogitantes, quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati: dicitur enim Levitici* 16. Sabbatum requietionis eſt, affligetis animas veſtras, *ſcilicet per contritionem, ſecundum Origenem*.

Obſervandum autem, Chriſtianos diligenter adeſſe debere Miſſę Parochiali Dominicis, feſtiſque præcipuis; quoniam Sixtus Papa IV. in Canone dicit, ſtatutum eſſe ſecundum jus, ut fideles Miſſam audiant Parochialem, niſi honeſta aliqua de cauſa impediantur, ait enim (*in Extrav. communio Extrav. Vices illius, de tregua, & pace*): „ Quod„ que fratres non prædicent populo, parœcianos non te„ neri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtivis

„ & Do-

„ & Dominicis; cum jure ſit cautum, illis diebus parœ-
„ cianos teneri audire Miſſam in eorum parœciali Ec-
„ cleſia: niſi forſan ex honeſta cauſa abſentarent". Denique Concil. Trid. illud præcipere videtur, ut diximus tom. 3. tract. 5. de Sacrificio Miſſæ cap. 6.

Unde etiam Coſmus Cardinalis de Torres, in Synodo Peruſina (*ann.* 1632. *de Miſſa*, *c.* 25.), ſic ſtatuit:
„ Sacrorum Canonum ſtatutis, ac Tridentinæ Synodi
„ authoritate adducti, populum fidei noſtræ commiſſum
„ monemus, ut Dominicis, aliiſque feſtis diebus, qui
„ ex præcepto Eccleſiæ coluntur, ad Miſſam audien-
„ dam, in ſuam quiſque Parochialem Eccleſiam conve-
„ niat, ut a Parocho, cui proprie ejus cura commiſſa
„ eſt, fidei chriſtianæ rudimentis, aliiſque animarum ſa-
„ luti neceſſariis præceptis erudiatur: tum ut ab eodem
„ audiat, qui dies feſti in quavis hebdomada colendi
„ ſint, quæ vigiliæ, jejuniaque ſervanda, quæ proceſſio-
„ nes, ſupplicationeſque publicæ indicantur, quæ Matri-
„ moniorum denunciationes fiant, & denique ſi quæ alia
„ Epiſcopi juſſu ſervare oporteat. Ut autem id a populo
„ præſtetur, Parochi hujus debiti officii, etiam autho-
„ ritate noſtra, illum moneant".

Et Cardinalis Benedictus Lomellinus, in Synodo Sarzanenſi (*anno* 1568. *c.* 24.), ſic decernit: „ Statuimus,
„ quod omnes, & ſinguli in diebus feſtivis conveniant
„ in Eccleſia ſua Parochiali, eorum filios & filias, ſer-
„ vos & famulas ſecum adducant ad Miſſas, ad Verbum
„ Dei, & alia divina audienda".

Quod etiam a celebri Cardinali Ptolomæo Gallio ſtatuitur in Synodo Sabinenſi (*ann.* 1690. *c.* 10. *de populo*), his verbis: „ Admonemus parentes, & alios quoſ-
„ cumque, & eis præcipimus, ut ſaltem diebus Domi-
„ nicis, & majoribus feſtis, ad proprias Eccleſias Paro-
„ chiales accedant, & ad eaſdem Eccleſias adducant
„ pueros, & puellas illas, quæ ad annos diſcretionis per-
„ venerint, ibique Parochorum Miſſæ, & ſalutaribus
„ monitis uſque ad finem interſint.

CAPUT III.

De cauſis, propter quas poſſunt licite exerceri opera ſervilia diebus Dominicis, & Feſtivis.

Quæſt. I. QUænam ſunt opera, quibus vacare licet diebus Dominicis, & Feſtivis?

Reſp. Ex Catechiſmo Romano (*Catech. Conc. Trid. p.* 3. *de* 3. *Decalogi præcepto* §. 32.): „ Non tamen eæ
„ actiones, neque ea opera vetantur, quæ ad divinum
„ cultum attinent, etiam ſi ſint ſervilia, ut altare in-
„ ſtruere, templa alicujus feſti diei cauſa ornare, & re-
„ liqua hujus generis; ideoque a Domino dictum eſt,
„ Sacerdotes in templo Sabbatum violare, & ſine crimi-

„ ne

„ ne esse". Nihilominus tamen ornari debent Ecclesiæ, quantum fieri potest, diebus non festivis.

Similiter etiam, inquit S. Thomas (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.), *nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati; puta, si quis doceat verbo, vel scripto*. Concilium Rhemense ann. 1583. tit. de diebus festis, ait: *Venditiones quarumcumque rerum, his exceptis, quæ ad divinum cultum, & victum necessarium pertinent, ne fiant diebus festis*. Concilium Aquense ann. 1585. tit. de festorum dierum cultu: *Ne quid ematur, aut vendatur, nisi quod ægrotis, aut illius diei victui necessarium sit*. Ex quibus colligere licet, ea opera non esse prohibita diebus festis.

Quæst. 2. Quibus de causis diebus Festis atque Dominicis, licita esse possunt opera servilia?

Resp. Quoniam quidem Ecclesia est optima parens, & nunc vitam agimus sub lege gratiæ, non eo rigore utitur, ut nos ab operibus servilibus deterreat, ita ut non possimus dispensari, quoties necessitas id exigit. Quare S. Thomas ait (2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.): *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum; unde dicit Dominus Matth.* 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & si ciciderit sabbato in foveam, nonne tenebit & levabit eam?* Idem observat Catechismus Romanus, dum ait (*Catech. Conc. Trid. par.* 3. *de* 3. *Decalogi præcepto* §. 52.): „ Sed neque earum rerum opera „ hac lege prohiberi existimandum est, quorum jactura fa„ cienda sit, si die festo prætermittantur, quemadmodum „ sacris etiam Canonibus permissum est". Enim vero Alexander Papa III. relatus in Canone (*Cap. licet, de feriis*): „ Licet tam veteris quam novi testamenti pagina septi„ mum diem ad humanam quietem specialiter deputa„ vit, & tam eum, quam alios dies Majestati Altissimæ „ deputatos, necnon natalitia Sanctorum Martyrum Ec„ clesia decernit observanda, & in his ab omni opere ser„ vili cessandum; Nos tamen, quibus ab omnium pro„ visore Ecclesiæ regimen est commissum, super his, „ quæ necessitas exigit, Christi fidelibus tenemur com„ mode providere, ut si quando eos non servili operi, „ id est, actioni peccati; sed necessaria victui, & vesti„ tui quærendo forte intendere contigerit; volumus, ut „ eis Apostolicæ Sedis providentia misericordia consueta „ subveniat. Inde siquidem est, quod cum regio vestra „ non multum frugibus abundet, & mare, in quo popu„ lus majorem habere consuevit sustentationem, sterilius „ solito effectum fuisse multorum relationibus cognoscen„ tes; authoritate Beati Petri, & Pauli, & nostra, in„ dulgemus, ut liceat Parochianis vestris, diebus Domi„ nicis, & aliis Festivitatibus, præterquam in majoribus „ anni solemnitatibus, si alecia terræ se inclinaverint, „ eorum captioni congruenter intendere; ita tamen,

„ quod

„ quod post factam capturam, Ecclesiis circumpositis, „ & Christi pauperibus congruam faciant portionem ".

Ex hoc autem Canone deducunt Episcopi, sibi licere diebus Dominicis, & Festis, tempore messium, & vindemiarum, licentiam concedere operari, quoties damnum, aut periculum imminere creditur, si talibus diebus ab opere cessaretur; hincque nobis licet deducere, ad laborandum sine peccato servilibus operibus, diebus festis, & Dominicis, duo desiderari. Primo, necessitatem urgentem operis. Secundo, dispensationem Ecclesiæ, quando commode peti potest; quoniam quidem ad Ecclesiam pertinet judicare, si vera sit, urgensque necessitas, quam quis prætendit, ut laboret; neve potius adulatio sit, qua creditur, hujus præcepti obligationem cessare; ut accidere potest plerumque, cum fingitur sine ulla ratione necessitas.

Ex his, quæ diximus, colligere licet, Pistores, & Lanios prævidere debere dies festos, & ita cuncta disponere, ut iis diebus nec pinsere, nec occidere obligentur; quæ tamen facere possent, si foret aliqua necessitas panis, aut carnis.

Quæst. 3. Artifices excusantur ne a peccato, laborando diebus Dominicis, & festis, quando necessitate premuntur eorum, qui ipsorum opera utuntur, eaque indigent; V. G. an sutor excusetur, ut calceos, an sartor, ut vestem exhibeat, dum metuunt, ne alios artifices adeant ii, qui eorum opera utuntur, nisi ipsis satisfiat cum urgent?

Resp. Artifices debent prius advertere, sit ne ex eorum culpa, quod teneantur operari diebus festis, ut iis satisfaciant, qui eorum opera indigent; quia reliquis hebdomadæ diebus suis operibus non satis attenderunt, sed ludo, aut cauponæ indulserunt: & tunc certum est, eos a peccato non excusari, quando diebus festis laborant, quia propria culpa se in hanc prætensam necessitatem injecerunt, quam facile prævidere, & evitare poterant; quæ cum voluntaria sit, non excusat a peccato. Secundo, prædicti artifices falso arbitrantur, eorum laborem esse necessarium, quod tamen ut plurimum non accidit; quia ii, a quibus urgentur, in ea præcisa necessitate minime versantur: sin autem eorum labor ita necessarius foret, ut sine gravi incommodo, V. G. sine veste non possent exire, quod rarius evenit, tunc quidem excusari possent, si modo sine scandalo laborare possent, & Missæ sacrificio interessent. Metus autem, quo timent, ne ad alios eant artifices, non sufficit ad eos plerumque excusandos. Primo, quia Deus non permittet, ut paupertate laborent, ideo quod divino cultui vacent: verum e contra suam ipsorum labori benedictionem concedet, sine qua, ut ait Propheta Regius, omnis labor inutilis est (*Ps.* 126.): *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*:

eam: ita sine divina benedictione labor eorum omnis futurus est inutilis, qui eorum familiæ alendæ, & fovendæ impenditur. Secundo, licet Deus id permitteret, & ita lucrum temporale minueretur, spirituales opes majores acquirerent. Addo, damnum illud levioris esse ut plurimum momenti.

Observandum hic est cum Synodo Spalatensi (*in Dalmatia ann. 1688. c. 5.*), quod „ perniciosus temporibus nostris inolevit abusus, Dæmonis æstu, & humani spiritus ambitione, qui suis potius inventis blandiri, quam aliorum præceptis parere consuevit, inductus, ut festa, & jejunia illa, quæ ab Ecclesia præscribuntur, a Christi fidelibus observanda negligantur; quæ vero quisquis suo sibi arbitratu proponit accurate serventur.

„ Nos, ut huic malo occurramus, Parochis præcipimus, ut curent omnino, ne imposterum populi tam facile festos dies sibi ex voto, aut ex devotione servandos assumant: sed festorum, ac jejuniorum, quæ Sancta Mater Ecclesia divino Spiritu edocta præcipit, exactam ac religiosam observantiam enixe commendent ".

CAPUT IV.

De iis qui cooperantur peccato eorum qui dies Dominicos & Festos non sanctificant.

Quæst. I. Quinam sunt ii, qui possunt frequentius cooperari violationi dierum Festorum?

Resp. Minime dubium est, quin ii, qui aliquo modo tenentur, authoritate sibi a Deo tradita, subditorum peccata impedire, rei sint, quoties sua negligentia Dominicos, festosque dies violant: cumque tria sint Superiorum genera, Ecclesiastici scilicet, politici, & domestici, isti Superiores aliquo modo cooperantur huic violationi, vel per negligentiam, vel per culpabilem conniventiam.

Quæst. 2. Quomodo Parochi, & alii quibus incumbit cura animarum, se reos sua negligentia constituunt, non impediendo laborem prohibitum diebus Festis?

Resp. Primo, cum ex officio teneantur populum illis commissum docere, graviter peccant, cum illud facere negligunt: ut enim ait sanctus Basilius (*in regulis brevioRib. interrog. 43.*): *Cui docendi munus commissum est, is si annunciare neglexerit, perinde ut homicida judicatur*. Unde tenentur suis subditis repræsentare gravitatem peccati in violatione hujus præcepti, & mala etiam temporalia, quæ illis, & illorum bonis, ex hac violatione proveniunt; quod Deus illorum non benedicit labori, qui ab eo cessare nolunt diebus Dei cultui

dedi-

dedicatis, Deoque reservatis: in vanum eos laborare, ut familiam suam stabiliant, quoniam quidem, ut mox diximus: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Videri possunt ea, quæ dicta sunt Tomo 6. tr. 2. c. 1. q. 9.

In Conciliis insuper legimus, ac præsertim in Parisiensi (*an.* 819. *c.* 50.), eos a Deo graviter in hoc ipso mundo puniri, qui dies honori suo dicatos non observant; sic enim legitur: „ Multi namque nostrorum visu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quosdam in hac „ die ruralia opera exercentes, fulmine interemptos, quosdam artuum contractione mulctatos; dum etiam visibili igne, corporibus, ossibusque simul, & sub momento absumptis, in cinerem subito resolutos, pœnaliter „ occubuisse: multa alia terribilia judicia extiterunt, & „ hactenus existunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur. Proinde omnibus nobis visum est, ut primum Sacerdotes, postea Reges, „ & Principes, cunctique fideles summopere procurent, „ ut tanti diei debita observatio nunc usque magna ex „ parte neglecta, ab hinc ob insigne Christianitatis devotius exhibeatur.

Secundo Parochi se reos efficiunt, quando in tribunali Pœnitentiæ eos non interrogant, quos probabiliter credunt fideliter non observare dies festos; quoties non examinant, an inciderint in peccata, quæ vulgo fieri solent contra hoc præceptum; aut quoties nimis leviter eos absolvunt, non expendentes, præbeantne vera contritionis signa, & emendationis in futurum pro se, & domesticis suis.

Tertio, si non admoneant Episcopos de frequenti violatione festorum, ut opportunis remediis occurrant; & nisi exequantur fideliter, quod Episcopus præscripserit. Denique si negligant repræsentare magistratibus obligationem, quam habent impediendi violationem dierum festorum, eosque punire, qui servilia opera diebus festis faciunt.

Quarto, si, juxta Concilii Tridentini Decreta, doctrinam christianam diebus Dominicis & festivis non exponant. Unde in Concilio Urbinatensi (*Provinc. an.* 1569. *de curatis c.* 4. *pag.* 38.) sic habetur: „ Meminerint Parochi, ex Sacri Concilii Tridentini Decreto, „ sibi injunctum esse, ut singulis Dominicis, atque aliis festis diebus Parochiæ suæ pueris fidei rudimenta „ tradant: propterea munus suum ea in re diligenter „ exequantur, vel per seipsos, vel per ludimagistros, „ vel alios idoneos; quod si id per alios fiet, pueros „ nihilominus ipsi quæ didicerint recitantes festis diebus in Ecclesia, aut alio commodiori loco, audiant, „ paterneque ad virtutes hortentur, eosque edoceant, „ Deo primum ac parentibus obedire, tum quæcumque

„ christianum hominem decent. Moneant autem Parochi parentes, ut filios ad christianam institutionem percipiendam statutis diebus, ex Episcopi præscripto, ad Ecclesias mittant.

Præterea in accurata Synodo Æsina (*an. 1683. tit. 29.*) statuitur, ut „ præ cunctis animadvertant Parochi gravissimum & inevitabile pondus ipsis impositum ab optimo Pastore Christo Jesu, prædicandi scilicet verbum Dei populis sibi commissis, docendique pueros doctrinam Christianam quibuscumque Dominicis diebus, & exponendi mysteria, quæ unoquoque recurrente anno sacrosancta Mater Ecclesia nobis celebranda proponit. Quapropter sedulam navent operam, ut tantæ suæ obligationis, vel per se, vel per alios aptiores omnino satisfaciant, ne ultricem Omnipotentis indignationem miserabiliter experiantur; & ne cogant Nos (qui juvante Dei gratia talis prædicationis eis exempla præbemus) eorum socordiam, arbitratu nostro decernendis pœnis, juste punire.

Et in celebri Synodo Spalatensi (*seu Salonitana anno 1628. c. 3.*) plura decernuntur, ad fugandam mysteriorum fidei ignorantiam, his verbis: „ Parochi in tabella describant omnes tam mares quam fœminas suæ Parochiæ, tum minores, tum grandiores natu, quibus opus est doctrinam addiscere: ac similiter nomina & cognomina parentum, ad hoc ut possint eos acriter arguere, qui non accesserunt, & sæpe nos certiores reddere, quo profectu & qua frequentia tam necessarium opus administretur: idque singulis mensibus referent Sacerdotibus Christianæ doctrinæ deputatis.

„ Clerici omnes cujuscumque Parochiæ auxiliarem operam præbeant, & pro certo habeant, se ad altiores gradus non promovendos, si ea de re testimoniales ac juratas litteras non habuerint.

„ Confessarios tam seculares quam regulares diligenter monemus, ut pueri, rustici, vel cujusvis idiotæ confessionem audituri, eos recitare jubeant orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi; & si hæc ignorare invenerint, cum charitate & patientia doceant, vel saltem eorum substantiam & summam; & si opus fuerit, loco pœnitentiæ injungant, ut illa discant, comminantes se imposterum, si non didicerint, eorum confessiones non audituros; & si eos sæpius ac supine negligentes invenerint, absolutionem vel denegent, vel differant.

„ Præterea qui præcipua christianæ fidei capita nescierit, ad Patrini officium in Baptismi seu Confirmationis sacramento non recipiatur, sacris Sodalitatibus non adscribatur, nec ad contrahendum matrimonium admittatur." Et paulo infra, c. 4. in eadem Synodo sic decernitur.

„ Parochis omnibus præcipimus & mandamus, ut sin-

„ gu-

„ gulis Dominicis & festis diebus inter Missarum sole-
„ mnia, statim post Evangelium, populum doceant, quæ
„ illi magis necessaria noverint ad fidem & pios mores,
„ pro loco & tempore. Poterunt autem sermone brevi &
„ claro, lingua materna explicare Evangelium, vel ali-
„ quam Missæ partem, vel Orationem Dominicam, vel
„ Symbolum Apostolorum, vel præcepta Decalogi; nec-
„ non Missæ audiendæ, Sacramentorum Pœnitentiæ &
„ Eucharistiæ suscipiendorum rationem edocere. Sæpe
„ parentibus inculcent obligationem, qua naturali jure &
„ præceptoDivino tenentur liberos bonis moribus imbuere,
„ & in viam salutis dirigere; ne eorum desidia miseræ
„ proles in æterna supplicia cæcis oculis prolabantur. "
Et in Synodo Veliterna Cardinalis Cibo sic habetur:
„ Parochi, saltem in omnibus Dominicis, & solemnibus
„ diebus festis, inter Missarum celebrationem, super
„ Evangelii explicatione sermonem habeant.

Præterea in Concilio Mediolanensi 7. (*an.* 1659. *sub Federico Card. Borrom. tit.* 1.) sic statuitur: „ Paro-
„ chi, quorum proprium munus est, populum suæ fidei
„ commendatum verbo Dei erudire, diebus præcipue fe-
„ stis, quibus, ex Concilii Tridentini sanctionibus, &
„ Provincialium frequentioribus monitis, id munus obire
„ tenentur, concionem nulla ratione omittant, aut ne-
„ gligant, eo prætextu, quod in aliis Urbis Ecclesiis
„ Dei verbum populus audire possit: sed ipsimet, omni
„ prorsus minus justa excusatione sublata, in Missa pa-
„ rochiali huic muneri satisfaciant.

Id etiam sancitum reperitur in eleganti Synodo Nolana ab Illustrissimo quondam Fabritio Gallo Episcopo congregata (*an.* 1588. *tit.* 1. *c.* 9.), his verbis: „ Plebani, &
„ quicumque parochiales, vel alias curam animarum ha-
„ bentes, Ecclesias quoquo modo obtinentes, per se, vel
„ alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus sal-
„ tem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi com-
„ missas, pro sua, & earum capacitate, pascant salutari-
„ bus verbis. "

Ut autem populorum ignorantia penitus auferatur, Eminentissimus Cardinalis de Angelis in Synodo Nonantulæ (*an.* 1688. *c.* 4.) decernit, ut „ describant Parochi in
„ aliqua schedula rudium adultorum nomina, & præser-
„ tim illorum, qui vitam ut plurimum in agris tradu-
„ cunt, ut eos quandoque, semel saltem in mense, in
„ privatis domibus apud se convocent, & in præcipuis
„ christianæ doctrinæ capitibus, & essentialibus Sacra-
„ menti Pœnitentiæ partibus patienter erudiant.

„ Item in tabella describant omnes tam mares quam
„ fœminas suæ parochiæ, tum minores, tum grandiores
„ natu, quibus opus est christianam doctrinam addiscere:
„ & singulis diebus Dominicis dictam tabellam percur-
„ rant, & quos abesse deprehenderint, acriter arguant,
„ ac in eorum pertinacia perseverantes Nobis, seu Vicario

„ nostro, deferant, ut condigna remedia adhibere possimus."
In Synodo Auximana (*an.* 1661. *c.* 10. §. 2.) Cardinalis Antonii Bichii statuitur, ut *diebus Dominicis populo Parochi aliquid de Evangelio semper exponant*.

Et in dicta Nonantulæ Synodo (*an.* 1688. *c.* 5.) sic statuit idem Eminentissimus Cardinalis: „ Sacrorum Canonum dispositionibus per sacram Tridentinam Synodum renovatis inhærentes, stricte præcipimus Parochis omnibus, ad quos hoc pascendi munus peculiarius spectat, ut per se ipsos, vel si legitime impediti fuerint, per alios Sacerdotes idoneos, a Nobis ad id approbandos, singulis saltem diebus Dominicis, & præcipue inter Missarum celebrationem, aliisque festis solemnibus, sæpius vero Quadragesimæ tempore, & Adventus Christi Domini, greges sibi commissos, pro sua & eorum capacitate, salubri prædicationis pabulo enutriant, docentes ea quæ ad salutem scitu sunt necessaria, vim atque usum Sacramentorum, juxta Catechismi Romani doctrinam, & exponentes aliqua sive ex Sancto Evangelio, sive ex aliis quæ in Missa leguntur: memores graves pœnas arbitrio nostro se subituros, si in hujusmodi Apostolicæ prædicationis munere defecerint. " Idem statuitur in Synodo Perusina Cosmi Cardinalis de Torres, an. 1632. c. 1.

Sanctus Carolus, Spiritu Divino animatus, videns, quantum animas juvare possit hæc parochialis instructio, dum Visitatoris Apostolici munere fungeretur in Diœcesi Brixiensi, sedulo Episcopum monuit (*Carolus Cardinal. S. Praxedis in Visit. Apostolic. an.* 1582. *pag.* 26.): „ de sermone vel concione parochiali singulis diebus festis, ab ipso Parocho habenda per seipsum, vel per alium, si quando eum legitime impeditum Episcopus censuerit. Quo in munere quoties Parochus defuerit, toties dimidii aurei nummi pœnam subeat, quæ scholæ Corporis Christi ejusdem Ecclesiæ ipso facto attributa censeatur.

Cardinalis Gaspar Borgia, in Synodo Albana (*anno* 1641. *n.* 4. *c.* 2. *de Parochis*.) decernit etiam, ut „ Parochi saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis, plebes sibi creditas, pro sua & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, Evangelium divinamque legem annuncient.

Cardinalis Ptolomæus Gallius, in Synodo Sabinensi (*an.* 1590. *de habentib. curam n.* 3.), statuit, ut „ Parochi diebus Dominicis & aliis festis populo Evangelium declarent; populum admoneant, ut Dominicis diebus, aliisque festis, ad suam parochialem Ecclesiam omnes conveniant, ut præter verbum Dei, intelligant etiam quæ aliquando enunciantur, & quæ ipsi scire tenentur."

Et in Concilio Turritano in Sardinia (*Provinc. an.* 1633. *de Resident.*) Decretum infirmitati Parochorum compatiens habetur his verbis: „ Curam animarum haben-

„ bentes, gregem sibi creditum Dominicis & festivis die-
„ bus, salutaribus verbis pascant, vel memoriter per se-
„ ipsos, si scientia polleant, vel ex scripto, seu aliquo
„ Homiliario a Superioribus approbato. "

Idem fere statuit celeberrimus Episcopus Amerinus, Antonius Maria Gratianus (*Syn. Amerina anno* 1595. c. 69.); Parochis, *inquit*, pastoris nomen, quod di-
„ gnitatis plenum est, tribuitur, ac Pastoris officio in-
„ cumbere eos, & traditum ipsorum curæ atque fidei pa-
„ scere gregem, in primis convenit. In quo indiligentes
„ ne sint, omnibus mandamus, ut singulis Dominicis,
„ aliisque celebrioribus diebus, unusquisque in sua Eccle-
„ sia sacræ concionis pabulum populo præbeat, a vitiis
„ deterreat, quæ pestem animæ afferunt, ad illa ample-
„ ctenda præstandaque pietatis officia adhortans, quibus
„ salutis nostræ ratio constat; semperque locum aliquem
„ sacri Evangelii, unde omnis vitæ disciplina petenda
„ est, exponat. Id autem concionandi & populum allo-
„ quendi munus, ipse per se obeat Parochus; aut si ne-
„ queat ipse, alterius, qui tamen a Nobis ante probe-
„ tur, operam adhibeat. Quod si ne alieni quidem in-
„ genii facultas adsit, & suo Parochus non fidat, sal-
„ tem selectam decretamque ex probato authore brevem
„ aliquam homiliam, qua populi religio accendatur, ex
„ scripto recitet: suamque potius dicendi desiderari facul-
„ tatem, quam necessarium populo verbi Dei pabulum
„ non suppeditari patiatur ".

Quæst. 5. Quomodo Magistratus, Domini, & alii Superiores Politici, cooperantur violationi hujus præcepti?

Resp. Quoties permittunt, ut operentur impune diebus Festis, quod habeantur nundinę contra pręceptum Ecclesię, aut mercatus; quando talia impedire negligunt, cum facile possint: quoties non arguunt, vel non puniunt eos, qui jumentis onera deferunt, aut aliis operibus servilibus indulgent festis diebus; quoties per pręsentiam approbant choreas, saltationes comœdias, vel ludos, pręcipue quo tempore celebratur Missa Parochialis, vel divinum officium. Denique quando sua authoritate & potestate non utuntur, ut impediant scandalosas omnes hujus pręcepti violationes secundum intentionem Ecclesię, & Principum decreta.

Quæst. 4. Parentes, Domini, & Dominę, aliique Superiores Domestici, tenentur-ne impedire, quominus personę suę curę commissę, sibique subditę, laborent diebus Festis?

Resp. Patet eorum obligatio ex verbis Exodi cap. 20. *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas*. Quibus verbis Superiores omnes domestici clarissime admonentur, ut dierum Festorum observationem accurate fieri procurent ab iis qui sibi subditi sunt, & ut omni modo, quo possunt impe-

diant, ne servilibus violentur. Unde merito sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi conjuges monet, cum ait (3. *tit. de his quæ ad matr. Sacr. pertinent.*): *Curent, ut nemo quisquam de familia sua, his sacris diebus, opus servile faciat.*

Quæst. 5. Quomodo tres hi Superiores, Ecclesiastici, Politici, atque Domestici rei sunt peccatorum, quæ ab inferioribus committuntur violatione Festorum?

Resp. Cum Magistratus sui officii munere teneantur, secundum Principum statuta, saltationes, choreas, ludos publicos, comœdias etiam, ceteraque hujusmodi, diebus Festis & Dominicis impedire, quippe quæ sanctificationi illorum dierum maxime contraria sunt; consequens est, eos esse quodammodo peccatis obnoxios, quibus præbent occasionem, negligendo authoritate sua profanationes illorum dierum depellere; quod idem dicendum est, proportione servata, de Parentibus, ac dominis, qui curam omnem non adhibent, ut illæ violationes devitentur, diesque divino cultui dicati Christiano modo peragantur.

Verum cum Parochi specialem magis curam habere teneantur ovium sibi commissarum, ne præcipites in peccatum ruant, ac præsertim ne Deum offendant his diebus divino cultui dicatis; eorum criminum participes sunt, quæ diebus Festis committuntur, quando negligunt ea impedire, quæ pro Pastorali sua sollicitudine impedire tenentur, ac facile possent.

Quin etiam eodem jure tenentur Pastores, quo ceteri Superiores, tum politici, tum domestici, choreas, comœdias, & similia impedire, ac propellere, quibus zelo domus Domini, ac divini cultus debent obsistere, ac sæpius in mentem revocare dicta Divi Antonini, qui ait (*p.* 2. *tit.* 9. *c.* 7. §. 3.) „Sed heu miseranda cæcitas „Christianorum, quia plures peccata faciunt, & gravio„ra in diebus Festis, quam per totam hebdomadam! „Nam cum aliis diebus oporteat eos diversis exercitiis „laborare, ut possint vivere; diebus Festivis, quando „deberent laborare pro anima, & Deo vacare, impli„cant se in multis vitiis.

Quare Pastores omni diligentia debent in id incumbere, ut populi sibi commissi sancte & utiliter dies festos transigant. Enim vero ignorare nequeunt, quod ait Sanctus Bernardus (*in* §. *punctis quibus pervenitur ad perfectionem, punct.* 8.): *Otiositas est mors animæ, & vivi hominis sepultura, & sentina omnium malorum.* Et ut docet Sanctus Hieronymus (*hom.* 9. *in Regula Monach. c.* 12.) *Teneatis firmiter, quod omnis concupiscentiæ, & immunditiæ, atque peccati mater est otiositas.* Quare ne plebs sibi commissa tales incidat in scopulos, diebus Dominicis, & Festis, præter exhortationes, & Catechismos, seu instructiones, quas Ecclesiæ præcepto diligenter facere tenentur, alios excogitare debent

bent modos, quibus eos occupatos detineant iis horis, quæ divinis Officiis non destinantur.

Neque vero utilius quid excogitari posse videtur, quam ut certas pietatis congregationes erigant, tum pro fœminis, & viris, tum etiam pro pueris, & puellis, in quibus procurent, ut præsides earum congregationum, a se delecti, charitatis opera proponant, quæ per Dominicam totamque hebdomadam sequentem in Parochia sint exercenda: V. G. ut visitent infirmos, pauperes, eosque qui in carcere detinentur: quin etiam ipsa Congregatio deputare posset aliquos ad ea munera; tum legi posset aliquis liber pietatis a Parocho designatus, deinde orationi vacare, aut brevem aliquem audire sermonem, ab ipso Parocho, aut alio in dicta congregatione conficiendum: certum etiam est, quod si Curati has congregationes in suas Parochias inducerent, iisque salutares regulas præscriberent, cum Episcopi participatione, atque consensu, vix aliquid magis idoneum excogitari posset ad veram inter populos stabiliendam pietatem & dierum Dominicorum, ac Festorum sanctificationem procurandam: quemadmodum quotidiana testatur experientia in multis Galliæ diœcesibus, & præsertim in Diœcesi Aquensi, ubi Missionarii ab Eminentissimo Cardinali Grimaldi ad conversionem & sanctificationem populorum in suam Diœcesim introducti, non alium modum magis idoneum ad stabiliendam Christianarum virtutum omnium praxim, & exercitium repererunt, præsertim vero ad dies festos in Parochiis sanctificandos, quam varias instituendo congregationes laicorum, sub ipsorum Parochorum, aliorumque Presbyterorum, curam animarum habentium, regimine & directione, qui quotidianos afferunt fructus, & singulari cum benedictione sanctas fovent dispositiones, quas Deus opere & studio harum missionum in populorum animis operatus est.

Unde S. Carolus, speciali Dei providentia, his ultimis sæculis Ecclesiæ concessus, ut typus & norma pastoralium omnium virtutum, in Concilio Mediolanensi (3. *tit. de festorum dier. cultu.*), ait: „ Crebro populum Parochi, & concionatores admoneant, atque „ hortentur, ut in operibus officiisque pietatis se exerceant, ægros homines visitando, mœrentes pie consolando, & alia hujusmodi præstando: ut denique ab „ aliis actionibus, unde omnis peccandi materia atque „ occasio existit, feriati, in ea opera incumbant, ob „ quæ sunt illi sacri instituti dies. Episcopi cura sit, „ vel litaniarum processiones, vel orationes, aliarumque Christianarum virtutum exercitationes instituere, „ in quibus per festos dies occupati fideles abducant se „ a profanis actionibus ".

Denique Rectores Parochiarum eo diligentius ac majori zelo debent incumbere, ut juxta illud Matthæi 22.

Quæ sunt Dei, Deo reddantur, populum suum modis omnibus inducendo, ut dies Festos sanctificent, qui Dei cultui præcipue dicati sunt; quod ab hoc præsertim conversio, & sanctificatio Christianorum dependeat: enim vero si fideles sint, in sanctificandis diebus Festis variis pietatis operibus occupati, vitam procul dubio vere Christianam agent aliis etiam diebus; nam præter copiosas gratias, quas a Deo fideli hac observatione impetrabunt, sui muneris officia certissime addiscent, easque percipient dispositiones, quæ necessariæ sunt ad rite suscipienda Sacramenta, præsertim vero Pœnitentiæ; cujus digna frequentatio magnos Cristianis hominibus afferre solet fructus.

Quæst. 6. Quæ sunt præcipue Parochorum obligationes?

Resp. Has obligationes sæpius in variis hujusce Theologiæ moralis Tomis attigimus, & præcipue Tom 3. Tract. 1. cap. 6. & 7. Tract. 2. cap. 2. & 3. & 7. Tract. 4. cap. 9. Tract. 5. cap. 5. & Tom. 2. c. 7. Et Tom. 4. Tract. 6. c. 8. Tract. 7. cap. 2. Et Tom. 5. Tract. 9. cap. 2. & 4. & 9. Et Tom. 6. Tract. 4. c. 4. Et Tom. 7. Tract. 8. c. 5. Et in fine in Epistola Pastorali Summi Pont. Sed cum præcipue Parochorum obligationes breviter restrictæ reperiantur in accurata Syn. Tiburtina, a Cardinali Julio Romæ congregata (*an.* 1655. *tit.* 4. *de Paroch.*), illius verba hic annectere utile diximus; „ Primum omnium, *inquit*, „ admonendi sunt Parochi de gravissimis obligationibus, „ quas habent, tamquam Dominici gregis pastores; sunt „ autem, quantum e sacris Canonibus colligimus, quæ „ sequuntur. 1. Residere. 2. Pro suis ovibus sacrificium „ offerre & orare. 3. Administrare sacramenta. 4. Concionari, & doctrinam Christianam docere. 5. Bonum „ exemplum præbere. 6. Magnam curam habere pauperum & miserabilium personarum. 7. Frequenter visitare infirmos. 8. Non admittere plura simul beneficia curata, etiam tenuissima. 9. Corrigere publica vitia & peccata suorum subditorum. 10. Obedire Episcopo & Synodalibus Constitutionibus. 11. Nullis se „ negotiis & muneribus immiscere, quibus a Divinis distrahantur. Ad eadem & omnia tenentur etiam Parochorum socii, quocumque nomine vocentur.

Cardinalis Marcellus Santacrucius, in alia recentiori Synodo Tiburtina (*an.* 1658. *pag.* 31.), monitum magni in praxi ponderis Parochis subministrat his verbis: „ Non s'ingeriscano in alcun modo negl' interessi delle „ Comunità, se non in quei casi che la carità li spingesse a prestare il loro ajuto; ma tutta la lor premura sia in attendere alla cura spirituale dell'anime. E „ sappiano, che quanto minor familiarità prenderanno „ con i secolari, tanto più di credito, e di rispetto si „ acquisteranno appresso il popolo ".

Sanctus Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus, monita suggerit Patri Gaspari Barzeo, quæ prudentiæ plena

sunt,

ſunt, & Parochis in praxi valde proficua (*lib. 4. Epiſt. 2. a Poſſino verſa.*): „ Sic te ſemper adhibe, *inquit*. „ quaſi exiſtimares, aliquando eos, *ſcilicet Parochianos*, „ ex tibi amicis inimicos evaſuros; ita non committes, „ ut conſcios illos habeas ullius facti dictive; quod ſi „ unquam iræ indulgentes protulerint, vel erubeſcere „ traductione tui, vel incommodo, aut damno negotio- „ rum te dolere ſit neceſſe. Exigit hanc a te irremiſſæ „ cuſtodiæ vigiliam pravitas hujus ſæculi nequam, cujus „ filii filios lucis ſuſpicacibus ſemper oculis obſervant. „ Debes eandem tuo ipſius in ſpiritu profectui, haud „ parvis incrementis proceſſuro, ſi totam ad quidvis agis, „ aut loqueris prudentiæ moderatricis attentionem adver- „ teris. Præmunies ſic etiam adverſus periculum muta- „ tionis leves amicorum animos, & in quocumque even- „ tu defenſores apud eos tibi parabis, memoriam obſer- „ vatæ in te rectitudinis, & natam ex ea verecundiam „ tui, qua, ubi a te deſciverint, confundi eos neceſſe „ ſit. Simul iſta reputatio inſtabilitatis hominum efficiet, „ ut Deum intuearis, ut te intime deſpicias, ut ubique „ præſenti Numini demiſſione intima, ſuavitate magna „ ſemper adhæreas: qualium intermiſſione officiorum, „ multa nobis obrepunt ſpectantium oculos lædentia, & „ illorum a nobis ſenſim abalienantia voluntates.

Monet etiam pius & vere eruditus, Antonius Maria Gratianus, in ſua præclara elegantique Synodo Amerina (*c. 30. an.* 1595.), quod cum „ Sacramentorum dono ma- „ xime Dei in humanum genus charitas & benignitas de- „ claretur, maxime eorum Miniſtro id ſpectandum eſt, ut „ in ſuo obeundo munere, charitatis laudem mereatur. „ Quæ certe ei non tribuetur, qui illa petentibus, aut „ ægre ſegniterque morem gerit, aut aſpere & cum quodam „ faſtidio adeuntes, excipit; nec eorum neceſſitatem & in- „ ſtans interdum periculum obire, quod officii ſui eſt, ſed „ ſuum ipſum operiri tempus cogit, aut quod magni cri- „ minis inſtar fuerit, moleſtis acribuſque increpitos verbis, „ rejicit interdum atque repellit. Ab tam agreſti atque „ difficili ingenio moreque longe abeſſe Parochorum huma- „ nitas debet, quorum omnis in benevolentia, in officio, „ in benignitate, in diligentia commendatio eſt. Quibus „ cum una cura incumbat, ut illi ſalvi beatique ſint, qui- „ bus præpoſiti ipſi ſunt, nec ad ſalutem ac beatitudinem „ perveniendi ulla quam Sacramentorum expeditior ac cer- „ tior via ſit, ab illorum profecto cultu, ac frequenti uſu „ & perceptione, non inſuavitate morum verborumque „ deterrendi a Parocho, ſed comitate & affabilitate alli- „ ciendi atque invitandi ſunt. Ergo non prompta ſolum „ parataque ſemper, ſed etiam obvia ſit Parochi opera Sa- „ cramenta petentibus, in eoque nullum ſuum, ſed ſem- „ per eorum obire tempus ſtudeat, quorum ipſe ſaluti „ utilitatique conſultum cupit: cupere autem omnibus „ debet. Non ab ſuis rebus occupationibuſque abduci,

„ non quieti, non somno eripi ægre ferat; sed hunc sibi „ laborem, hanc assiduitatem charitatemque magno cum „ fœnore repositam iri a Domino in illa die justo judi- „ ce speret.

„ Unum est, *inquit in alio loco idem Episcopus* (*Syn.* „ *Amer. anno* 1565. *cap.* 621. 622. *&* 623.), quod nos „ ne prætermittamus, studium & charitas nostri gregis „ cogit; quod quidem si præstiterint Parochi, unum „ multorum instar habebit. Id autem est, ut ita ipsi vi- „ tam instituant suam, ut ex eorum moribus, ac reli- „ gione, alii pudoris, innocentiæ, pietatis exemplum „ petant. Sat doctus, sat disertus, sat efficax virtutis „ auctor, ac vitiorum insectator fuerit Parochus, si pro- „ bus, si castus, si abstinens, si pius, si integer sit, si „ denique quæ alios docebit, ipse vita præstabit. Con- „ tra quo callidior, quo eruditior, quo in sacris procu- „ randis industrior, quo denique in tradendis vitæ præ- „ ceptis populoque instituendo plenior eloquentiorque fue- „ rit; eo plus suspicionis, plus odii, plus invidiæ apud „ omnes habebit, si vita a verbis, mores a doctrina, „ animus ab ingenio dissentiat. Nam innocentiam, re- „ ligionem, integritatem omnes intuentur; litteras, e- „ ruditionem, artem, atque facultatem dicendi, pauci „ intelligunt.

„ Faciet prudenter Parochus, si suorum nimiam fami- „ liaritatem vitarit: non quidem ut congressus, sermo- „ nes, amicitiam cujusquam refugiat, quod agreste hor- „ ridumque esset, sed ut penitus se in eorum usum ac „ necessitudinem ne dedat, multo minus ut convivia „ cum iis, comessationes, risus, ludosque celebret. Qui „ enim Parentis majestatem retineat apud eos, quorum „ se quotidie misceat cœtibus? Quem sacerdotalem de- „ corem præferat, quibus ipsa consuetudinis assiduitate „ contemptui jam ac satietati sit? Qui Confessorem re- „ vereantur, aut illius verecundia teneantur, quem sæpe „ testem, interdum & socium eorum quæ confitenda e- „ runt habuerint? Quam denique concionanti, ac reli- „ gionis & vitæ præcepta tradenti fidem tribuant, quem „ totos dies per fora, per vias, profanis involutum ne- „ gotiis cernant? Ergo domi, quantum potest, se Pa- „ rochus contineat, frequens in Ecclesia, rarus in foro „ conventibusque conspiciatus: sermonesque ejus nun- „ quam adeo remissi sint, quin intra Pastoris decorum, „ & religiosi hominis modum contineantur.

„ Sæpe Parochum & officii sui diligentia, & studiis „ earum rerum, quæ Parochiale munus attingunt, & „ morum etiam ac vitæ integritate alioquin non sper- „ nendum, pecuniæ amor & augendæ rei cupiditas transf- „ versum agit: Animi morbus, qui ita insidet inhæret- „ que, ut eo qui corripiuntur, haud sane facile inde „ leventur. Cernere est quosdam adeo singulatim ac diu „ quæsitis nummulis suis incubantes, adeo suis se angu-

„ stiis

„ stiis prementes, ut pudendo parcendi ac seponendi „ studio, non vestitum corpori, non necessarium vitæ „ cibum suppeditent, tantum abest, ut alienis necessita„ tibus subveniant. Si quem supplendo Ecclesiæ aut Al„ tarium instrumento sumptum facere jubentur, adeo se „ miseri contorquent, detrectant semper, ut missuri san„ guinem facilius videantur, quam in ullam impensam „ loculis suis obolum promant. Quid? nonne isti rem „ in egestatem suam comparant? cui enim tam alienum „ deest, quam istis suum? Nos tam sordidi ac restricti „ animi hanc proponendam imaginem duximus, ut si „ quis hujus se contagione morbi contactum sentit, re„ cipiat strenue, liberetque animum pecuniæ specie, do„ losis mali dæmonis laqueis irretitum. Quod quia nisi „ Divina ope non assequeretur, eam omnibus sacrificiis, „ omnibus precibus assidue a Deo ut imploret, eum nos „ per salutem suam oramus & obtestamur.

Demum idem Illustrissimus Episcopus prudenter advertit (*Syn. Amen. anno* 1593 *c.* 934.), quod „ Officiorum, „ quæ Parochus suis debet, haud postremum fuerit stu„ dium tuendi inter eos concordiam, odiaque ex omnium „ animis detergendi. Cum igitur in alloquendo populo „ sæpe pacis ac maturæ benevolentiæ bona commemo„ rabit, tum quoties diffidere aliquos senserit, antequam „ in apertas inimicitias erumpant, atque etiam post„ quam eruperint, eos omni studio in gratiam redu„ cere conabitur, adhibito etiam consilio atque ope„ ra communium amicorum. Quod si ne hac quidem „ diligentia assequetur, ut gravius irritatos animos seda„ re & componere possit: rem ad nos deferet, qui quod „ maxime opportunum judicaverimus, remedium adhi„ bebimus ".

TRACTATUS
QUINTUS.

De quarto Decalogi Præcepto.

EGimus hactenus de præceptis, quæ pertinent ad cultum, & amorem Dei, quæque in prima Decalogi tabula continentur: supersunt explicanda ea, quæ spectant ad charitatem erga proximum; quæ in secunda tabula continentur: „ Tota lex, *ait sanctus Augustinus* (*l. de decem chordis*, *c. 6. tom. 9.*), in duobus præce„ ptis est, dilectione Dei, & dilectione proximi: ad „ duoque præcepta, id est ad dilectionem Dei & pro„ ximi, pertinet Decalogus. Ad primum præceptum „ tres chordæ pertinent, quia Deus trinitas: ad alte„ rum vero præceptum, id est ad dilectionem proximi,

 „ se-

" septem chordæ, quomodo vivatur inter homines, " nam ipse numerus septenarius tamquam septem chordarum incipit ab honore parentum, Honora patrem " tuum, & matrem tuam: ad parentes etenim suos " homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia " sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non " defert honorem, quibus parere poterit? & dicit Apostolus: *Honora patrem tuum, & matrem tuam; hoc " est primum mandatum*. Quomodo primum, quando " quartum mandatum est? nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est " in secunda tabula "; nam parentes inter proximos eminent, tamquam ii, cum quibus magis conjuncti sumus, & majora debemus. Quare quartum præceptum his verbis concipitur Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*.

Omnes autem Superiores Ecclesiastici, & politici, sub hoc parentum nomine continentur; ut patet lib. 4. Regum cap. 2. *Ascendit Elias per turbinem in cælum; Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi;* Et ita Eliseus prophetam Eliam patrem vocat. Et Joas Rex eodem nomine appellat Eliseum lib. 4. Regum cap. 13. *Descenditque ad eum Joas Rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi*. Hinc est, quod Divus Paulus se patrem vocat, cum ait (1. *ad Cor. c.* 4.): *Ut filios meos charissimos moneo*. Et in alio loco (1. *ad Cor. c.* 12.), *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos: nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*.

Reges quoque, principes, Magistratus, aliique Superiores politici, aliquo modo patres vocari possunt, propter dignitatem, & authoritatem, quam erga inferiores exercent. Hac de causa servi Naaman præfecti militiæ Syriæ vocant eum patrem in Scriptura (*lib.* 4. *Reg. c.* 5.): *Accesserunt ad eum servi sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta*. Et ut ait Catechismus Romanus (*q.* 3. *de* 4. *Decalogi præcept.*); *Præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris & officii nomine*.

Hoc etiam Præcepto reciproca parentum erga liberos, & Superiorum erga subditos officia continentur: quare solita brevitate horum omnium debita officia exponemus. Primo igitur agemus de officio liberorum erga parentes, & parentum erga liberos: tum de officio nostro erga Superiores Ecclesiasticos; ac demum erga Superiores Politicos, quales sunt Reges, Principes, Gubernatores, Judices, Domini, aliique similes; ac denique de officio debito erga Superiores domesticos, quales sunt domini erga servos, & mariti erga conjuges.

CAPUT PRIMUM.

De officiis, seu debitis filiorum erga suos parentes.

Quæst. 1. IN quo consistit honor, quem filii debent parentibus?

Resp. Hic honoris nomine non solum intelligitur reverentia, & veneratio parentibus debita, sed etiam amor, obedientia, & obligatio illis subveniendi in eorum necessitatibus spiritualibus, & temporalibus. In hunc sensum dicit Divus Paulus (2. *ad Tim. c.* 5.): *Viduas honora:* & ibidem; *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Quibus verbis significare voluit, viduis opem præstandam, ac Presbyteris duplicem quoad subsistentiam seu vivendi rationem, exhibendum honorem.

Quæst. 2. Quonam modo filii possunt implere obligationem, qua tenentur honorem & reverentiam deferre parentibus?

Resp. Si illis exhibeant in omni occasione reverentiam inviolabilem, si illorum consiliis acquiescant, si illis non repugnent, (nisi obstet & lex divina, & regula conscientiæ; in quo casu humiliter resistendum illis foret) licet sint pauperes, senes, debiles, & ad iracundiam proclives. Ut dicitur Ecclesiastici cap. 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua; eleemosyna enim patris erit in oblivione.*

Unde merito sanctus Ambrosius ait (*in Epist. ad Colos. c.* 3. *in hæc verba, filii, obedite parentibus*): „Tunc „possunt filii Deum habere propitium, si debitam hono„rificentiam rependant parentibus, circa obsequium illo„rum faciles, in contemptu difficiles; scientes filios „numquam adversus parentes protervire debere.

Denique verus exhibetur a filiis honor parentibus, si cum illis se gerant, eosque revereantur tanquam personas sua sorte, & conditione longe superiores, a quibus multa bona sperare, & multa mala timere possent. Id insinuat Ecclesiasticus cap. 3. cum dicit: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in novissimo maneat*: & cap. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.*

Qualescumque habeant defectus, memores esse debemus, nos iis vitam debere: nec tam considerandum est, quales sint, quam qui sint respectu nostri, hoc est, parentes nostri; quacumque fortunæ, honoris, & opum sorte vivamus, aut quacumque demum virtute præditi simus, totum quod sumus, post Deum, iis debemus.

Scriptura Sacra, ut nos efficaciter hortaretur ad hoc mandatum complendum, non modo præmia proponit, verum etiam minas intentat iis, qui voluerint illud violare. Legitur enim (*Proverb. c.* 19.), *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix.* Et cap. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Cap. vero trigesimo dicitur: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suę, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.*

Denique Deus Exodi cap. 21. ait: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, moriatur.* Et Levitici cap. 20. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.*

Quæst. 3. Quomodo filii suum erga parentes amorem significare debent?

Resp. Quoniam parentes magis, quam omnes alios, amare debemus, quia magis illis, quam ceteris proximis, debemus, majusque & strictius vinculum cum iis habemus; justum est, & æquum, ut in omnibus occasionibus verum hunc significemus amorem; quin etiam studere debemus, & quidem summopere, ut illis nostra in omnibus agendi ratio placeat, protestantes, nos summo amore eorum personas complecti, summoque desiderio eorum bona procurare velle, illisque complacere, sed in primis hic amor erga parentes eminere debet in veris illis bonis procurandis, gratia scilicet in hac vita, & gloria in futura. Quoniam si temporalia tantum bona ipsis optemus, & temporalia tantum illis gaudia procurare velimus, eos potius ut Paganos & Ethnicos, quam ut Christianos decet, amabimus, ut innuit Divus Augustinus, dum ait (*de moribus Ecclesiæ Cath. l.* 1. *c.* 26. *t.* 1.): „ Dicit ergo, secundum præceptum esse: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; te autem ipsum salubriter diligis, si plusquam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est; hoc est, ut etiam ipse perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis; illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non sit angustum". Et ut ait sanctus Bernardus (*lib. De modo bene vivendi ser. de charitate*): *Ad hoc debes proximum tuum diligere, ad id eo quod diligis te ipsum: scilicet ut bonus sit, & ad vitam æternam pervenire possit.*

Quare filii nihil omnino negligere debent, ut parentum salutem procurare possint, sive precibus, sive verbis, sive exemplis: omnemque laborem & industriam secundum prudentiam christianam adhibere debent, licet etiam aliquando magnum non videant laborum suorum fructum: imo vero tunc frequentiores, & ferventiores instituendæ sunt orationes, ut abundantiores

a Deo

a Deo gratias pro eorum conversione consequantur: pœnitentiam etiam secretam propter eum finem agere debent: sin autem videant filii, consilia sua parentes magis irritare, quam eosdem flectere, summa & invincibili prorsus patientia eos tolerare debent, ut aliis in occasionibus gratiora videantur iis verba, & salutis monita, quæ summa cum prudentia & industria dicenda sunt, ut ad saniorem mentem & sanctiorem vitam convertantur. Sic enim legimus in Vita Sanctorum, quod plures filii facti sunt spirituales partes parentum suorum secundum carnem. Denique ex sancto Augustino (*de vera religione, lib. unic. c. 46. tom. 1.*): *Ea est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illis velit: & quæ accidere sibi mala non vult, & illis nolit.*

Quæst. 4. Quomodo intelligenda sunt hæc Christi Domini verba Lucæ cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus?*

Resp. Exponunt Sancti Patres hæc verba, dum docent, amorem erga parentes cedere debere amori, quem Deo debemus, & quando nos impediunt a servitute Dei, tenemur eorum jussa negligere, & detestari, quamvis eorum personas semper diligamus, quia, ut ait idem Christus Dominus, Matth. cap. 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Scriptura*, inquit sanctus Hieronymus (*ep. 1. ad Holiodorum*), *præcipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam.* Unde sanctus Augustinus ait (*in lib. contra Adimantem Manichæum c. 6. tom. 6.*): *Manifestum est, & honorem parentum in gradu suo esse servandum, & eos tamen in divini amoris comparatione, præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni.* Et sanctus Gregorius inquit (*hom. 37. in Evangelia.*): *Utrumque agere per discretionem valemus, ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos adversario in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Quia ut ait Divus Bernardus (*De modo bene vivendi, ser. 11.*), *Majora tribuit nobis Christus, quam parentes nostri, & ideo super parentes debemus diligere Christum. Stultum est autem aliquid plusquam Deum amare: quia qui plus diligit creaturam, quam creatorem, peccat: & qui præponit amorem creaturæ amori creatoris, errat.* Et sanctus Hieronymus ait (*in Matt. c. 10.*): *Ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios: si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum, Dei amori comparetur, & non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum est.* Denique sanctus Basilius Magnus ait (*apud Bedam in scintillis c. 55. de honore parentum.*):

Paren-

Parentes nostros ut propria viscera diligamus, si accedere nos ad servitutem Christi non prohibuerint.

Quæst. 5. Filii tenentur-ne ex hoc præcepto parentibus obedire?

Resp. Dominus Noster Jesus Christus non solum verbis, sed etiam exemplo suo docuit, obediendum esse parentibus: legimus enim in Evangelio (*Lucæ c.* 2.): *Et erat subditus illis*, id est, Beatissimæ Virgini, & sancto Josepho; ipseque Spiritus Sanctus, quo calamus Evangelistarum regebatur, a duodecimo usque ad trigesimum ætatis ejus annum, nihil aliud innuit, aut indicavit divinarum suarum actionum, præter ejus obedientiam erga parentes. Hanc ipsam obedientiam fidelis ejus interpres & Apostolus Paulus scribens ad Ephesios docuit, dum ait (*c.* 6.): *Filii obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.* Et in alio loco Epistolarum (*ad Coloss. c.* 3.): *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.* Et ostendere volens, quam grave sit crimen non obedire parentibus in rebus justis; cum loquitur de enormibus gentilium peccatis, quibus in cæcitate sua obnoxii erant, inter cætera ait (*ad Rom. c.* 1.): *Parentibus non obedientes.* Idemque Apostolus admonet Timotheum discipulum suum, dum ait (2. *ad Tim. c.* 3.): *Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi . . . parentibus non obedientes.* Verum nihil magis demonstrat filiorum obligationem in præstanda parentibus obedientia, quam quod legitur in Deuteronomio (*c.* 21. *v.* 18.); „ Si genuerit homo filium contumacem, „ & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & „ ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster „ iste protervus, & contumax est, monita nostra audire „ contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque „ conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, & „ morietur; ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat.

Quæst. 6. In quibusnam filii tenentur præcipue obedire parentibus?

Resp. Cum præceptum obedientiæ sit omnino generale, liberi in omnibus universe loquendo parentibus suis obedire tenentur: vixque aliquam reperire licet excusationem legitimam, quæ eos ab hac obedientia liberet: Et ut ait Sanctus Augustinus (*in Ps.* 70. *in præfat.*), „ In ea re sola filius non debet obedire patri, si aliquid „ pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius. „ Neque enim debet irasci pater, quando sic ei præponitur Deus. Ubi autem hoc jubet pater, quod contra „ Dominum non sit, sic audiendus est quomodo Deus; „ quia obedire patri jussit Deus “. Quare etiam S. Hie-

Hieronymus (*in ep. ad Pit. c. 3. refertur in Can. Si Dominus*, 11. *q*. 3.): „ Hoc ipſum & intelligamus de „ filiis apud parentes: quod in illis tantum debeant pa- „ rentibus eſſe ſubjecti, quæ contra Dei mandata non „ veniunt.

Verum ſanctus Thomas ſpecialius obſervat ea, in quibus parentibus obedire tenemur, dum ait (*quodlib. . . . art. 9. in corp.*): „ Ad illa ſe extendit debitum obedien- „ tiæ, ad quæ ſe extendit jus prælationis: habet autem „ pater carnalis jus prælationis in filium. Primo quidem „ quantum ad domeſticam converſationem: ſic enim eſt „ paterfamilias in domo, ſicut Rex in regno: unde ſic- „ ut ſubditi Regis tenentur obedire Regi in his, quæ „ pertinent ad gubernationem regni, ita etiam filii, & „ alii domeſtici tenentur obedire patrifamilias in his, „ quæ pertinent ad diſpenſationem domus. Secundo, „ quantum ad morum diſciplinam. Apoſtolus dicit ad „ Hebræos 12. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus e- „ ruditores, & obtemperabamus eis*. Debet ergo pater „ filiis non ſolum educationem, ſed etiam diſciplinam. „ In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, & „ non in aliis". Quod idem Doctor paucis explicat in Summa; ait enim (2. 2. *q*. 104. *ar*. 5. *in corp.*): *Filius tenetur obedire patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam*.

Quæſt. 7. Filii, qui contrahunt matrimonium contra parentum voluntatem, & abſque eorum conſilio, peccant ne contra obedientiam illis debitam?

Reſp. Cum Matrimonium filiorum ſit res maximi momenti, & plurimi interſit parentum, citra dubium filii tenentur parentibus ſuam hac in re obedientiam ſignificare, priuſquam Matrimonium ineant. Hæc obligatio eſt de jure naturali, & Sacri Canones eam ſtatuunt, & vehementer confirmant. S. Leo Papa relatus in Canone ait (*in ep. ad Ruſticum Epiſcopum Narbon. refertur in Can. Non omnis*, 32. *q*. 2.): „ Paterno arbitrio viris junctæ „ carent culpa: Cum ergo dicitur paterno arbitrio jun- „ ctæ viris, datur intelligi, quod paternus conſenſus deſi- „ deratur in nuptiis, ne ſine eo illegitimæ nuptiæ habeantur „ juxta illud Evariſti Papæ: Aliter non ſit legitimum con- „ jugium, niſi a parentibus tradatur". Hoc eſt non vacat crimine. Et S. Ambroſius relatus etiam in Canone ait: *Mulier nubat tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat*. Et in alio Canone legimus (*Can. Honorantur*, 32. *q*. 2. *Can. Aliter*, 50. *q*. 5.) *Aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur; & a parentibus propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur*. Denique Concilium Tridentinum (*ſeſſ*. 24. *de ref. matr. c*. 1.), de talibus Matrimoniis loquens,

quens, ait: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, illa semper detestata est, atque prohibuit.*

Quin etiam Reges Galliæ volentes prohibere, ne filiifamilias sine parentum consensu Matrimonium ineant, permiserunt, ut propter hanc solam rationem hæreditate priventur. Henricus II. hac de re decretum edidit mense Februario an. 1556. quo dicit: „ In quantum in nobis „ est, divinam voluntatem, & mandatum exequentes, „ dicimus, statuimus, ac præcipimus, ut filii familias „ Matrimonium ineuntes, aut deinceps inituri clandestina Matrimonia, contra voluntatem, consensum, & „ insciis parentibus, propter talem ingratitudinem, & con„ temptum parentum suorum, divinæ legis, & præcepti „ transgressionem, jurisque & honestatis publicæ negligen„ tiam ab utilitate publica inseparabilem, & a parenti„ bus suis hæreditate privari, & a successione excludi „ possint, sine ulla spe deinceps litigandi, aut exhære„ dationem ita factam in controversiam vocandi".

Hoc decretum confirmatum fuit ab Henrico III. in Comitiis Blesensibus ann. 1579. & a Ludovico XIII. Parisiis mense Januario, anno 1629. Observandum tamen est, quod si parentes libidine quadam, seu sine justa ratione, filiorum Matrimonium impedire vellent, in tali casu post debitam reverentiam parentibus a filiis exhibitam, ut aliquo tandem modo rationabili, & æquo Matrimonio consentirent; post consultum precibus Deum, piumque aliquem, & peritum virum, si filii Matrimonium ineant servatis Ecclesiæ legibus, non peccant. Quoniam parentum potestas in liberos, & in familiam totam, recta ratione regi debet, eorumque bonum, & utilitatem spectare, qui ipsis subditi sunt: talia tamen Matrimonia liberis ipsis suspecta esse debent, licet admodum utilia esse videantur, eaque leviter non sunt contrahenda, nec sibi adulari, aut sine gravi ratione sibi persuadere debent, parentes injuste suis desideriis obsistere. Plenius hac de re Tom. 5. Tract. 9. hujusce Theologiæ moralis egimus, de Matrimonio tractantes.

Quæst. 8. Tenetur-ne filius obedire patri, quando sæpius eum urget, V. G. ut matrimonium ineat, Religionem, aut Ecclesiasticum statum amplectatur, Beneficium acceptet, aut similia?

Resp. Quoniam quidem vitæ status electio magni prorsus ad salutem est momenti, in eoque eligendo divina tantum vocatio considerari debet; secundum Div. Thomam (2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.*): *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi*. Quoniam divina voluntate in his eligendis determinari debemus, nec ea facile sequi, quæ caro & sanguis persuadere vellent. Et ut ait S. Augustinus (*ep.* 19. *ad Edidiciam*, *tom.* 2.): „ Quid mirum, si „ pater communem filium nolebat hujus vitæ sustentaculis

„ a matre nudari, ignorans, quid sectaturus esset, cum „ in ætate grandiuscula esse cœpisset, utrum Monachi „ professionem, an Ecclesiasticum ministerium, an con- „ jugalis necessitudinis vinculum? Quamvis enim ad me- „ liora excitandi & erudiendi sint filii sanctorum, unus- „ quisque tamen proprium donum habet a Deo, alius „ quidem sic, alius autem sic". Solum Deum intueri debemus tanquam nostræ vocationis authorem; quoniam ab eo, non autem a parentibus, gratiam expectare debemus, quæ necessaria est ad operandam salutem nostram in eo vitæ statu, ad quem nos vocare dignatus fuerit. Unde Sanctus Paulus ait (*ad Eph.* 4.): *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocatis estis*. Et in alio loco (1. *ad Cor. c.* 7.): *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum*.

Quæ si vera sint de quolibet vitæ statu, serioque consulendus sit Deus, priusquam eum amplectamur; qua tandem cura, & diligentia divinam voluntatem non debemus explorare, ut certo nobis constet, an nos ad Ecclesiasticum, aut Religiosum statum vocet? Nam cum duo hæc vitæ genera admodum sublimia sint, majoremque perfectionem postulent in eo, qui velit ea amplecti; justum est, ut is qui tale vitæ genus sequi intendit, naturæ corruptæ consiliis plane renuntiet, ut videat, an ad id aptus & idoneus sit, numve malo aliquo consilio impulsus esse videatur, V. G. ut parentibus placeat, ut majori cum quiete, & otio, atque deliciis vivat, ut opes acquirat, ut ab hominibus honoretur, & similia.

Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus, inquit sanctus Bernardus (*in hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia, c.* 5.): *consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua juxta eumdem Apostolum*, quos prædestinavit, hos & vocavit. *Sed quis vocaverit nos in honorem cleri, convenire velint conscientias singulorum ... Huic enim parvulo, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam Beneficia, provida sane parentum sollicitudo parabat ... Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam magis cupiens, quam vindictam*. Ipsi, inquit, regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. Quamobrem, ut hanc calamitatem devitemus, a proximorum nostrorum studio, & impulsu cavere admodum debemus, quando cogitamus de amplectendo statu Ecclesiastico, aut Beneficio aliquo acceptando; quandoquidem, ut ait Concilium Burdigalense (*ann.*1614. *c.* 6. *de Ordin. n.* 2.): *In nulla re profecto magis elaborant hujus seculi homines, quam ut filii, præcipue deformes, & ad sæcularia negotia inepti, in sortem Domini assumantur; in beneficia certe, non ad officia Ecclesiastica, quacumque ratia-

tione, cum eos non vocet Dominus, promovendi. Vide tom. 2. tr. 2. c. 3. q. 11.

S. Hieronymus hunc frequentem, etiam ſuo tempore, parentum abuſum, valde Eccleſiæ nocivum, deplorat his verbis (*S. Hier. ep. 8. ad Demetr.*): „ Solent miſeri „ parentes, & non plenæ fidei chriſtiani, deformes, & „ aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non „ inveniunt, virginitati tradere: tanti, ut dicitur, vi- „ trum quanti margaritum? Certe qui religioſiores ſibi „ videntur, parvo ſumptu, & qui vix ad alimenta ſuffi- „ ciat, virginitati dato, omnem cenſum in utroque ſe- „ xu ſæcularibus liberis largiuntur. Quod nuper in hac „ urbe dives quidam fecit Presbyter, ut duas filias in „ propoſito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad „ omnem copiam filiorum luxuriæ, atque deliciis provi- „ deret. Fecerunt hoc multæ, proh dolor, noſtri propo- „ ſiti fœminæ; atque utinam rarum eſſet exemplum. „ Quod quanto crebrius eſt, tanto iſtæ feliciores, quæ „ ne plurimarum quidem exempla ſecutæ ſunt.

Verum ſi vocationem noſtram a parentibus accipere minime debemus, neque cæco modo eis obedire, quando nobis aliquem vitæ ſtatum proponunt, ad eumque impellunt, præſertim vero ſi ſanctior ſit, & ſublimior; multo minus carnali eorum affectui conſentire debemus, quoties nos impedire, & avertere volunt a ſanctioris vitæ ſtatu, ad quem movente Deo vocari nos credimus. S. Hieronymus fuſe oſtendit, qua animi firmitate, atque conſtantia, carnis & ſanguinis conſiliis, & perſuaſionibus ſit obſiſtendum; & concludit (*ep. 5. ad Heliod. & ep. 2. ad Ruſticum*): *Pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.*

S. Auguſtinus ait (*vel S. Paulin. in ep. 38. ad Lætum*): „ Mater Eccleſia, mater etiam eſt matris tuæ: „ hæc nos de Chriſto concepit: hæc martyrum ſangui- „ ne parturivit: hæc in ſempiternam lucem peperit: „ hæc fidei lacte nutrivit, & nutrit; ciboſque majores „ præparans, quod adhuc parvuli & ſine dentibus vagi- „ re vultis, horreſcit; hæc mater toto orbe diffuſa, „ tam variis, & multiplicibus errorum infeſtationibus „ agitatur, ut abortivi jam filii ejus adverſus eam belli- „ gerare non dubitent: ignavia etiam, atque torpore „ quorumdam membra ſua frigeſcere, plurimis locis, „ & fovendis parvulis minus idonea fieri dolet. Unde „ niſi per alios filios, unde niſi per alia membra, quo- „ rum e numero tu es, juſtum ac debitum poſcit auxilium? „ hujus tu neceſſitatem deferens, ad carnalia verba con- „ verteris, nonne hæc cariora viſcera, & cœleſtia ubera „ oſtendat? addo viri ejus ſuſceptionem carnis, ne car- „ nalibus inhæreres, & a Verbo æterno univerſa, quæ „ tibi mater improperat, ne his implicareris, aſſumpta. „ Adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem „ crucis: talibus concepte ſeminibus, talique in vitam „ ne-

„ novam connubio procreate, languefcis, & contabefcis „ in veterem hominem, &c. " Nec Dei vocationem fequeris, qui te ad altaris minifterium vocat, & ad laborandum pro proximi falute.

„ *Scio, inquit Petrus Blefenfis* (*ep.* 11. *ad R. Cleric.*), „ quia parentes tui te retrahunt a propofito meliori, „ non differat quæfo, non evacuet propofitum tuum con- „ verfionis, productoria, & feductoria affectio parentum: „ Noli eos diligere contra Chriftum, quos teneris odio „ habere pro Chrifto; multi pro parentibus fuis animas „ perdiderunt, quorum occafione mundus, qui in eis „ aruerat, denuo revirefcit .... Impius eft, qui animæ „ fuæ pro fuis parentibus eft crudelis: majoremque te- „ meritatem hac nemo habet, quam ut animam fuam „ ponat quis ita periculofe pro amicis fuis ".

Quæft. 9. Tenentur ne Ecclefiaftici parentibus obedire in iis, quæ ad functionum fuarum minifterium, aut obligationem ftatus pertinent?

Refp Si Clerici Chrifti Domini exempla diligenter intueri velint hac in parte, cum ipfum a parentum ftudio his in rebus plane folutum, ac liberum viderent, ii quoque in minifterio fuo, facrifque functionibus obeundis, proximorum confiliis acquiefcere minime deberent. Ipfe namque Chriftus Dominus ut clericos inftrueret, a Beatiffima Virgine, & S. Jofepho inconfultis, & infciis fe fubduxit, ut in templo ftaret, & falutaria legis Doctoribus traderet præcepta: ac tandem ubi poft follicitam trium dierum parentum fuorum inquifitionem repertus fuit (*Lucæ c.* 2.): „ Et dixit mater ejus ad illum: Fi- „ li, quid fecifti nobis fic? ecce pater tuus, & ego dolen- „ tes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eft, quod me „ quærebatis? nefciebatis, quia in his, quæ Patris mei „ funt, oportet me effe "?

Quin etiam Chriftus Dominus, ut Sacerdotes a nimio erga parentes ftudio averteret; in iis, quæ ad Ecclefiaftica fpectant minifteria, vifus eft ipfas fanctiffimæ Virginis non audire preces in nuptiis in Cana Galileæ celebratis, & licet primum fuum miraculum matris interceffione concedere vellet, quod & poftmodum fecit; Clericos tamen, & Sacerdotes, qui fpeciali quodam modo præ ceteris Chriftianis ejus veftigia fequi tenentur, erudire voluit, ne parentum confiliis obfequerentur in functionibus fuis obeundis; enim vero Joannis 2. legitur: *Dicit ei*, fcilicet matri, *Jefus: Quid mihi, & tibi eft mulier? nondum venit hora mea:* & in alio loco, Matthæi fcilicet c. 12. *Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ftant quærentes te. At ipfe refpondens dicenti fibi, ait: Quæ eft mater mea, & qui funt fratres mei? & extendens manum in difcipulos fuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eft, ipfe meus frater, & foror, & mater eft.* Ut autem nos doceret,

qua animi firmitate & constantia parentum affectui renunciare debemus, aut obsistere, ubi agitur de acceptando, aut derelinquendo Beneficio, de munere aliquo Ecclesiastico amplectendo, aut de agendi modo in sanctis functionibus; referre videtur S. Gregorius, quod in Scripturis habetur, dum ait (*mor. lib. 7. in cap. 6. Job c. 14.*): Hinc per Moysen dicitur: „ *Qui dixerunt patri*
„ *suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, igno-*
„ *ro vos, & nescierunt filios suos; hi custodierunt elo-*
„ *quium tuum, & servaverunt judicia tua.* Ille enim
„ scire Dominum familiarius appetit, qui præ amore
„ pietatis, nescire desiderat quos carnaliter scivit. Gravi
„ etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis
„ notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque, ac pro-
„ ximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jun-
„ gi: quatenus eosdem, quos propter Deum viriliter ne-
„ gligit, tanto solidius diligat, quanto in eis affectum
„ solubilem copulæ carnalis ignorat.

Quare quando parentes, aliique proximi Clerum volunt impedire, quominus sacris functionibus unice vacet, quemadmodum ait Apostolus (*ad Coloss. c. 1.*): *Ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*; & ubi parentes, ac proximi, secundum carnis desideria, modum, quem servare debet in sacris ministeriis obeundis, regere volunt; tunc verbis S. Bernardi illis respondere potest (*ep. 11. ex persona Eliæ Monachi, ad parentes suos*): „ Si me vere ut bo-
„ ni, ut pii parentes diligitis, si veram, si fidelem er-
„ ga filium pietatem habetis, quid me patri omnium
„ Deo placere satagentem inquietatis, & ab ejus servi-
„ tio, cui servire regnare est, retrahere attentatis? Ve-
„ re nunc cognosco, quia inimici hominis domestici
„ ejus. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non
„ agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gau-
„ deretis utique quia vado ad meum, atque vestrum,
„ imo universorum patrem ".

Adeo porro justum est, & æquum, ut Clerici parentum consiliis in sacris suis functionibus, & ministeriis obeundis non acquiescant, ut id etiam Leges civiles, & Imperatorum placita cavere videantur. Sic enim dicitur (*Leg. Sacro-sanctæ. C. de Episc. & Cler.*): *Ea quæcumque in eodem Clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint, etiamsi in patris, avique, aut proavi potestate constituti sint, & adhuc superstites habeantur, tanquam bona propria vindicent.* Legimus etiam in Decretalibus (*Cap. Si annum, de judic. in 6.*):
„ Si annum quartum decimum tuæ peregisti ætatis, in
„ beneficialibus, & aliis causis spiritualibus, nec non &
„ dependentibus ab eisdem, ac si major viginti quinque
„ annis existeres, ad agendum, & defendendum per te,
„ vel per procuratorem, quem ad hoc constituendum de-
„ creveris, admitti debebis. Si vero infra quartum deci-

„ mum annum existas, per te agere, aut defendere non
„ poteris super ipsis: sed vel per tuum Episcopum, vel
„ per officialem ejusdem tibi curator dabitur ad lites hu-
„ jusmodi exercendas, aut tu ipse, si major infante fue-
„ ris, cum authoritate alterius eorumdem, procuratorem
„ ad eas poteris deputare. In hujusmodi quoque litibus,
„ sive causis, quamquam in potestate patris existas, nec
„ alias absque illius assensu in judicio regulariter esse
„ possis; ejus (cum de his se intromittere non habeat)
„ nequaquam requiri debit assensus.

Notandum tamen, quod in terris obedientiæ, id est, sanctæ sedis dominio temporali existentibus, Clerici non sunt subjecti patriæ potestati, etiam quoad bona quælibet adventitia, ita ut omnia Clericorum bona habeantur quasi castrensia.

Hic observandum est, quod licet Clerici non debeant parentum consiliis obedire in iis, quæ ad eorum statum pertineant, aut ex eorum sententia, menteque se regere; sed pium potius, probumque virum consulere, quando de suscipiendis Ordinibus, de acceptando, aut derelinquendo Beneficio aliquo, seu munere Ecclesiastico cogitant, de modo munera sua Ecclesiastica obeundi, deque Beneficiorum suorum redituum dispensatione; numquam tamen debitam parentibus obedientiam, & reverentiam debent exuere, nec eos vel leviter quantum fieri potest irritare; & sine ullo sanctioris propositi, animique constantiæ præjudicio, his in casibus parentibus significare debent, se nec officio suo, nec debitæ ipsis venerationi deesse, sed eorum desideriis solum obsistere, quia *obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Act. c. 5.

CAPUT II.

De obligationibus parentum erga filios, & domesticos.

Quæst. I. QUænam sunt præcipua parentum officia erga liberos suos?

Resp. Præclare, & paucis ea recenset Concilium Gangrense (*Can.* 15.), in quo dicitur: *Si quis liberos suos relinquit, nec eos alii, nec quantum in se est, ad convenientem pietatem, religionemque adduxit, sed exercitationis prætextu negligit, sit anathema*. Quare videmus ex hujus Concilii decreto, quo pars quarti præcepti, pertinens ad parentes explicatur, eos teneri, corporis, animæque liberorum suorum curam habere; corporis quidem, providendo alimenta, aliaque necessaria ad vitam corporalem liberorum; animæ vero, eosdem instruendo, & procurando, ut instruantur, omneque, quantum fieri potest, peccandi occasionem auferendo, eosdem corrigendo christiana prudentia, iisque tandem dando bonum exemplum. Verum enimvero cæcitate quadam deploranda sæpius videmus, parentes de anima libero-

berorum suorum parum esse solicitos, eaque tantum curare, quæ ad corpus pertinent. Hinc ait S. Joan. Chrysostomus (*advers. vituperator. vitæ monasticæ*): „ Nulla alia ratione perversi ut fiant liberi contingit, nisi „ quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo „ amplius incumbunt, & fere dixerim, insaniunt: cum „ enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter & liberorum animam „ negligere coguntur.

Quæst. 2. Quomodo parentes tenentur providere necessitatibus temporalibus filiorum?

Resp. Summa diligentia & cura laborare debent, ut omnia illi habeant, quæ necessaria sunt ad vivendum secundum eorum statum, & conditionem, quare dubitandum non est, quin parentes graviter peccent, si curam negligant rei domesticæ, aut bona sua quocumque modo dissipent; & rationem reddituri sint inopiæ, ad quam suas reducunt familias, ut libidinibus suis, & cupiditatibus satisfaciant; ut patet ex Concilio Gangrensi mox relato, & ut id ipsum ostendit, ac probat Sanctus Augustinus authoritate Divi Pauli his verbis (*ep.* 199. *ad Eddiciam.*); „ Cum Beatus Apostolus dicat; Quisquis autem suis, & maxime domesticis, non providet, fidem „ denegat, & est infideli deterior. Cum ergo de eleemosynis loqueretur, ait: Non ut aliis sit refectio, vobis „ autem angustia. Pariter ergo consilium de omnibus „ haberetis, pariter moderaremini, quid thesaurizandum „ esset in cælo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis, & vestris, vestroque filio relinquendum, ut aliis „ esset refectio, vobis angustia.

Cura quam habere tenentur parentes rei domesticæ satis ostendit, matres, etiam illas, quæ, secundum illarum statum, videntur non teneri ad manualiter operandum, dignas laude esse, quoties per aliquas horas singulis diebus curæ rei domesticæ incumbunt simul cum puellis. Ut enim habet Clemens Alexandrinus (*in pædagogo l.* 3. *c.* 11.): „ Res est pulcherrima, mulier domus custos, quæ se & maritum propriis ornamentis induit, „ per quæ omnes exultant; filii quidem propter matrem, „ maritus autem propter uxorem, ipsa autem propter „ eos, omnes vero propter Deum. Ut paucis igitur dicam, virtutis penus est fortis mulier, quæ cibos otiosa non comedit.

Verum quia plus plerumque peccant parentes nimia temporalium rerum solicitudine pro liberis suis, quam negligendo bonorum conservationem; ac periculose dediti sunt avaritiæ, sub providæ œconomiæ prætextu; quia, ut ait S. Gregorius magnus (*Pastor. p.* 2. *c.* 9.): *Plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur: Nam sub parsimoniæ nomine sæpe se tenacitas palliat*: Ideo parentes, ne cupiditate bonorum temporalium, & studio promovendæ familiæ pareant, frequenter animo perpen-
dere

dere debent, quæ Divus Paulus Apoftolus ait (1. *ad Tim. c. 6.*); *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & defideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eft cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inferuerunt fe doloribus multis. Dixit autem Apoftolus*, inquit S. Auguftinus (*in Pf.* 118. *Concione* 11.). *Radix omnium malorum avaritia eft... Nam ipfi primi homines per ferpentem decepti, & dejecti non fuiffent, nifi plufquam acceperant habere, & plufquam facti fuerant effe voluiffent. Hoc quippe illis promiferat, dicens; Eritis ficut Dii: plus enim volentes habere, quam acceperant, & quod acceperant, amiferunt.*

Et ut ait Habacuc Propheta cap. 2. *Væ qui congregat avaritiam malam domui fuæ, ut fit in excelfo nidus ejus, & liberari fe putat de manu mali; cogitafti confufionem domui tuæ.* Enimvero Proverb. cap. 15. dicitur: *Conturbat domum fuam, qui fectatur avaritiam.* Verum nihil magis parentes deterrere debet a nimio congerendarum opum ftudio, nimioque earum affectu pro liberis promovendis, quam id quod ingerit Chriftus Dominus fæpius in Evangelio, & præfertim Matthæi cap. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum.* Quare five fe ipfos, five liberorum fuorum intueantur commoda, ardens illud divitiarum comparandarum, & familiæ promovendæ ftudium debent exuere; quoniam nihil magis officit faluti, aut majori pereundi periculo nos exponit, & a fine revocat, propter quem Deus nos in lucem edi voluit, nimirum propter vitam æternam confequendam: *Quam difficile*, inquit Chriftus Dominus (*Marc. c.* 10.), *qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* Unde tota Scriptura, ut ita dicam, plena eft benedictionibus in pauperes, & maledictionibus in divites; & fingulis propemodum paginis nos hortatur, ut avaritiam, & cupiditatem caveamus (*Luc. c.* 12.): *Videte & cavete ab omni avaritia*, ait Dominus nofter Jefus Chriftus, *quia non in abundantia cujufquam vita ejus eft, ex his quæ poffidet.* Et Apoftolus ait: (*ad Heb. c.* 13.): *Sint mores fine avaritia, contenti præfentibus; ipfe enim dixit: Non te deferam, neque derelinquam.*

S. Gregorius patribus familias dicit (*Paftor. par.* 3. *Admon.* 21.): „ Audiant, quod fcriptum eft; Qui „ feftinat ditari, non erit innocens. Profecto enim „ qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit: „ & amore avium captus, cum efcam terrenarum re„ rum avide confpicit, quo ftranguletur peccati laqueo, „ non agnofcit “. Multi enim funt, ut dicitur Sapientiæ cap. 11. „ Qui æftimaverunt, lufum effe vitam

„ nostram, & conversationem vitæ compositam ad lu-
„ crum.

Denique qui liberos habent, secundum Christianæ Religionis placita ratiocinari assuescant: eaque in agendo sequantur, quæ fides præcipit, & inspirat: quid tandem liberis proderunt ea, quæ cum tanto propriæ salutis periculo congerunt? Ut enim ait S. Chrysostomus (*in c. 2. ep. ad Tim. 1. homil. 9. in moral.*): „ siquidem filii improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin „ autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere divitem? bonum illum, ac benignum „ esse doce; ita enim etiam rem familiarem auctiorem „ facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit, „ nihil deteriori in loco erit, quam hi, qui plurima „ possident. Quod si malus ille fuerit, etiamsi infinitam illi substantiam relinquas, non illi custodem reliquisti, sed longe deteriore conditione fecisti, quam si „ ad extremam devenisset inopiam. Quippe filiis non rite institutis præstat pauperes esse, quam divites: paupertas enim vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet; opes vero ne volentes quidem pudice temperanterque vivere sinunt: verum exorbitare „ faciunt, atque pervertunt, malisque innumeris subjungunt “.

Quæst. 3. Parentes tenentur-ne curare, ut filii rite instituantur?

Resp. Hæc obligatio evidentior est, quam ut probatione indigeat; & hoc ipsum naturale lumen ita manifestat, ut nemini dubium esse possit; quoniam quidem hac cura, & educatione christiana, illis animi bona procurant, quæ corporis bonis longe sunt præferenda. Ut enim ait S. Chrysostomus (*adversus vituper. vitæ monasticæ.*): „ An non extremæ dementiæ & iniquitatis est, „ non tantum studii ac sollicitudinis in rebus spiritualibus ponere, quantum circa temporalia, & fluxa monstramus “? Quare Scriptura nobis ob oculos sæpe ponit hanc parentum obligationem, Ecclesiastici c. 7. *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum.* Et c. 30. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Legimus in Deuteronomio, quod postquam denuo Moyses mandata Dei Israelitis exposuit, dixit illis (*Deut. c. 11.*): *Ponite hæc verba in cordibus, & animabus vestris . . . Docete filios vestros, ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque surrexeris.* Et c. 4. monet Moyses: *Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos.*

Quanti vero parentes referat, Christianam hanc filiis educationem tradere, patet Proverbiorum cap. 10. ubi dici-

dicitur: *Filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matri suæ*. Et cap. 29. *Erudi filium tuum, & refrigerabit delicias animæ tuæ .... Puer qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam*: Et Ecclesiastici c. 30. dicitur: *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur .... & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se: in vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis, reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam*.

Sanctus vero Joannes Chrysostomus, exponens locum illum Epistolæ 1. ad Timotheum cap. 2. ubi dicitur (*in ep. 1. ad Tim. c. 2. hom. 9.*): *Salvabitur mulier per filiorum generationem*: dicit: „ Liberorum educa„ tio divinitus datur, si enim, inquit, permanserit in „ fide, & charitate, & sanctificatione cum sobrietate: „ hoc est, si ipsos, postquam genuerint, ad ista cura„ verint promovendos, maxima mercede donabuntur. „ Neque enim, *inquit ibidem S. Chrysostomus hom. 9.* „ *in Morali*, parvi meriti est, indultos nobis a Deo li„ beros, ad ipsius exercere militiam, eique ab ipsis in„ fantiæ pannis dedicare; nam si ejusce educationis fun„ damenta jecerint, magnis afficiendi sunt præmiis; „ quemadmodum si neglexerint, gravissimis cruciatibus". Minime siquidem dubium est, ut ait S. Carolus in Concilio Mediolanensi (3. *tit. de his quæ ad matr. sacram. pertinent.*): „ Quod sicut uberrimum ab optima insti„ tutione præmium pater-familias capiet, quicumque li„ beros, familiamque suam ad Dei cultum, & ad pie„ tatis, Christianarumque virtutum disciplinam erudie„ rit: ita quicumque debitum hoc paternæ curæ offi„ cium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, ut „ in die Domini sibi durissimum judicium fiat.

Quæst. 4. Quasnam instructiones parentes debent tradere filiis suis?

Resp. Ut parentes impleant, quod illis præcipit Apostolus, dum ait (*ad Ephes. c. 6. v. 4.*): *Educate illos in disciplina, & correptione Domini*: curent in primis ex Concilio Mediolanensi (3. *tit. de his, quæ ad matr. sacram. pertinent.*), „ ut nemo quisquam de fa„ milia sua sit, qui Christianæ fidei rudimentis instru„ ctus non sit, sive filii sint, sive servi & ancillæ, sive „ alii in famulatu tuo". Et sicut dicitur in Concilio Cameracensi, an. 1565. tit. de scholis cap. 1. „ Fidei „ rudimenta doceant, symbolum Apostolorum scilicet, „ Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, „ Decalogum, Ecclesiæ præcepta, & formulam confes„ sionis, idque latine, & vernacule".

Videri possunt, quæ dicta sunt supra Tom. 6. tr. 2. c. 2. q. 9.

Præterea debent parentes non modo mentem instrue-

re, & memoriam liberorum excolere, hanc sanctam doctrinam iis tradendo; verum etiam operam dare tenentur, ut animi effectus, cordisque motus ad rectæ rationis, fideique normam regantur, & ad significandum suum pro Dei gloria, & liberorum salute promovenda zelum, sæpius cum iis colloquentes de omnipotentia Dei, de mirabilibus ejus operibus, de beneficiis, quæ ab eo accepimus, & jugiter ab ejus summa in nos largitate accipimus: *Narrabunt*, inquit Psalmista (*Psalm.* 77.), *filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur Dei & mandata ejus exquirant*. Cum nihil magis repugnet christianæ pietati, quam sensus, quos corrupta nobis ispirat natura: quoniam, ut dicitur Geneseos c. 8. v. 21. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Hinc est, ut dicit S. Augustinus (*l.* 1. *Confess. c.* 7.), quod solent „ flendo petere etiam quod noxie daretur, indignari a„ criter non subjectis hominibus, liberis, & majoribus, „ his a quibus genitus est, multisque præterea pruden„ tioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus, „ feriendo nocere, niti quantum potest, quia non obe„ ditur imperiis, quibus perniciose obediretur". Quare parentes filios suos intueri debent ad malum pronos, & eniti, quantum possunt, ut pravos hos animi motus & perniciosa desideria, quæ in hoc mundo dominantur, penitus evellant, juxta illud sancti Joannis (*c.* 2. *v.* 15.): *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex Mundo est*.

Quare magni prorsus refert, parvulos assuefacere a teneris ipsis unguiculis; ut pravis triplicis hujus concupiscentiæ motibus obsistant; ut contemnant, quod mundus colit, & æstimat; ut humilitatem ament, & exerceant; ut carnis voluptates fugiant, & avaritiam detestentur; ut quamprimum incipiant naturæ cupiditates reprimere; quoniam quidem Sapiens ait (*Proverb.* 12. *v.* 6.): *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Igitur in primis parentes peccati horrorem liberis suis inspirare debent, tanquam summi, quod ipsis accidere potest, mali; & uti possent exemplo Blanchæ S. Ludovici matris, quæ sæpius huic magno Regi, ejusque fratribus dicere solebat: Filioli mei, Deus scit, quanto ego vos amore prosequor: millies tamen vos mortuos potius optarem, quam uno peccato mortali coinquinari.

Quæst. 5. Quibusnam mediis possunt hæ sanctæ parentum institutiones consequi finem optatum?

Resp. Si in primis singulis plane momentis, ac singulis eorum actionibus instillare conentur principia corruptæ naturæ placitis contraria; bonos præceptores, si

fa-

facultatem habeant, illis tradant, qui veram pietatem colant, eamque liberos suos doceant: si summa cum cura & diligentia removeant omnes peccandi occasiones: si solidæ pietatis illis exempla præbeant; denique si illos paterna cum charitate, & christiana prudentia corripiant.

Quæst. 6. Quomodo possunt a parentibus cum fructu inspirari liberis sensus Christiani, seu desideria Christiano digna?

Resp. Interest multum in primis, ut illis ob oculos ponant vota, quæ per patrinos emiserunt in baptismo, quæ fideliter servare tenentur, eaque illis sæpius explicare: Ut enim ait Concilium Parisiense (*6. l.* 1. *c.* 9.): „ Omnibus Christi fidelibus studendum est, ut pactio„ nis, & sponsionis, quam cum Deo in baptismate fece„ runt, semper memores existant, caveantque, ne qui„ buslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solum „ eumdem sibi reaccendant ignem, verum etiam immun„ dum spiritum a se tempore baptismatis expulsum, cum „ septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquo „ modo redire faciant ". Parentes etiam debent docere filios quomodo, sicut dicitur in eodem Concilio (*Ib. l.* 1. *c.* 10.), „ Abrenunciare diabolo, est penitus eum respue„ re, spernere, rejicere, eique contradicere, seqe & u„ numquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc „ verbo exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique o„ peribus Salvatoris contraria existunt, primum superbia, „ cujus ille author est, & quæ eum ex Angelo dæmo„ nem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & „ cætera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa „ diaboli, hæc est, quæ pompa mundi; id est, ambi„ tio, arrogantia, vana gloria, omnisque cujuslibet rei „ superfluitas in humanis usibus unde crescit elatio, quæ „ multoties honestati solet adscribi; & cætera hujusmo„ di, quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc „ & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore „ baptismatis a se rejecit, Christoque se mancipavit, „ pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus „ abrenunciavit, rediret. Verum si jura humanæ pactio„ nis firmiter conservantur, fixius tamen, atque ferven„ tius, jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, in„ violabiliter sunt observanda.

Verum parentes non modo harum obligationum, quas in baptismo contraxerunt, notitiam filiis tradere debent: sed etiam summa cum diligentia occasiones quærere, easque oblatas accipere, ut sensim sine sensu assuescant filii, eas in praxim redigere, & observare, honorum quoque contemptum, qui tanta cum aviditate solent expeti, frequenter instillabunt: ac uti possunt illustrium virorum infortuniis, ac tristibus magnatum fatis, & mortibus, quoties de iis sermo fit, ut vanitatem harum rerum, brevemque pomparum sæculi durationem eorum oculis subjiciant, ac intelli-

telligant, quanti referat, soli Deo adhærere. Si quid autem viro probo adversi contingat propter actionem aliquam bonam, eum laudabunt, eosque in primis frequentibus efferent encomiis, qui bona, & vitam exponunt lubenter potius, quam ut quidquam contra conscientiam agant, & fidem inviolabilem, quam Deo promiserunt in susceptione baptismi. E contra vero, si quis coram illis loquatur de aliquo crimine commisso, captanda est occasio, ut ejus horror illis inspiretur, & quanta cæcitas sit, æternas sibi pœnas accersere pro momentanea delectatione.

Similiter si mentio fiat coram illis de choreis, comœdiis, conviviis, & similibus; multum interest illis exponere, hæc omnia ad mundi pompas pertinere, & summæ esse dementiæ, pro his nugis salutem prodigere; deflendi sunt, qui iis implicantur, & inducendi sunt filii ad rogandum Deum, ut illis ostendat earum rerum periculum, & maligni spiritus insidias. Admonendi aliquando sunt, quod comœdia, ut ait S. Basilius (*homil. 4. in examer.*): *Communis & pubblica est discendæ omnis incontinentiæ officina*. Et juxta sanctum Ambrosium (*l. 2. de pœnit. c. 5. & l. 4. ep. 30.*): *Deliciarum comes, atque luxuriæ saltatio*. Et, ut dixit eruditissimus Theologus Ordinis sancti Francisci Conradus Clinglius in Catechesi Catholica lib. 4. c. 12. *Chorea mundana est circulus, cujus centrum est Diabolus, & circumferentia Angeli ejus circumstantes; & ideo raro, aut nunquam sine peccato fit*. Si tristes filii quandoque compareant, quod ludis suis aliquando priventur, aut similibus rebus; adhibenda est consolatio, dicendumque, res creatas non admodum esse amandas, nec iis nimium adhærendum, quia omnia talia peritura sunt, & propter Deum eorum jactura æquo animo ferenda est, quoniam longe majora & acceperunt, & sperare possunt beneficia a Deo.

Denique si conquerantur liberi, quod verberibus sint affecti, exhortandi sunt, ut id pro Dei amore patiantur, qui tot mala pro ipsis passus est; quin etiam excitandi sunt, ut aliquod officium, aut urbanitatis obsequium iis exhibeant, a quibus male sunt excepti, præsertim vero inculcandum est, quod ultionem de illis sumere nullatenus debeant. Quare cavendum est, ne placentur, ut plerumque fieri solet, injuriis lacessendo eos, a quibus sunt offensi: neque iis intentandæ sunt minæ, aut incitandi liberi ad vindictam, vel odium, contra quemcumque, nec etiam contra res inanimatas, quæ lapsus, aut casus occasionem præbuerunt, seu quæ causæ fuerint, quod damnum aliquod passi sunt.

Quæst. 7. Quænam præcipue vitanda sunt a parentibus, ne impediant fructum, quem Christianæ institutiones producturæ sunt in animis filiorum?

Resp. Ex sancto Joanne Chrysostomo (*lib. 3. adversus vitu-*

vituper. vitæ monasticæ.): „ Neque istud solum iniquum
„ est, & indignum, quod Christi præceptis contraria do-
„ cetis, verum quod favorabilibus appellationibus vitia
„ obducitis. Quippe circensibus ludis, & reliquis specta-
„ culis interesse jugiter, urbanitatem & facetias vocatis;
„ divitiis affluere, liberalitatem, gloriam amare, ma-
„ gnanimitatem, arrogantiam, confidentiam, prodigali-
„ tatem, clementiam, injustitiam, fortitudinem esse affe-
„ rentes. Tum vero, quasi non hæc sufficiant decipula,
„ virtutum quoque contrariis nominibus obnubitis; rusti-
„ citatem quidem pudicitiam vocantes; formidinem, mo-
„ destiam; imbecillitatemque, justitiam: contentumque
„ fastus & gloriæ, servilis esse animi existimantes; malo-
„ rumque tolerantiam, ignaviam & infirmitatem: tan-
„ quam profecto metuentes, ne si tandem veram, & pro-
„ priam harum rerum appellationem ab aliis audierint,
„ effugiant ejusmodi perniciem filii. Neque enim parum
„ confert ad evitationem mali, nudas ipsas & proprias
„ vitiorum proferre appellationes; verum tantum habet
„ momenti & roboris, ad eos qui peccant feriendos, ut
„ plurimi nonnumquam turpissimis flagellis insignes, cum
„ id quod sunt, se vocari audiunt, modeste ferre non
„ possint; sed ut qui acerbissima sunt perpessi, ita sæviant
„ atque efferantur ". Idem quoque S. Chrysostomus in
„ c. 5. ait: „ Nunc vero illos ad ea, quæ saluti suæ sunt
„ adversissima, omni studio impellitis; denique audias
„ patres, cum liberos suos ad studia litterarum hortantur,
„ hujusmodi verba illis jugiter insusurrare: Ille, inquit,
„ humilis, humilique loco natus, quia dicendi facultatem
„ consecutus est, summos magistratus, maxima imperia
„ administravit, opes acquisivit ingentes, uxorem acce-
„ pit divitem, construxit præclaras ædes, omnibus terrori
„ est, summaque in gloria versatur. Alius rursus: Ille,
„ inquit, latina lingua eruditus, in Regia clarissimus est,
„ cunctaque intus sese administrat. Alius item alium in
„ medium adducens, proponit ad imitandum, cunctique
„ penitus insignes & claros in sæculo viros memorant; cæ-
„ lestis vero conversationis, cælestiumque bonorum, nul-
„ la omnino fit mentio. Cæterum si quis aliquid hujus-
„ modi memorare voluerit, ut qui cuncta pervertat, ita
„ rejicitur. Cum ergo hac doctrina teneros illorum ani-
„ mos imbuitis, atque hisce verbis rudes ad hoc aures
„ excantatis, profecto nihil eos aliud, quam materiam
„ malorum omnium docetis, duos istos illis violentissi-
„ mos amores inferentes, pecuniarum scilicet, & qui
„ longe perniciosior est, lævissimæ atque inanissimæ glo-
„ riæ. Horum vero cum seorsum quilibet cuncta perver-
„ tere vi sua sufficiat, quid tandem ambo facturi exi-
„ stimantur, si simul coeant, sicque in juvenis animum
„ irruant mollissimum atque tenerrimum? nonne veluti
„ torrentes quidam conjuncti, bona simul omnia cor-
„ rumpunt, & perimunt; tantum spinarum, tantum a-

„ renæ numerum, tantamque materiæ vim intus congerentes, ut animum illum sterilem bonorumque omnium „ inferacem faciant “?

Quæst. 8. Quamnam sequi debent parentes regulam in vestiendis liberis, ut eorum animos a mundi pompis, & sæculi vanitate revocent?

Resp. Magni profecto refert, ut Christianæ prudentiæ normam in vestiendis liberis, ac præsertim filiabus, adhibeant; quoniam quidem experientia constat, gravissimum inde iis damnum inferri: educantur enim & foventur in illis pompis, in eaque vanitate, quam difficile postmodum exuere velint. Ut enim ait Sanctus Chrysostomus (*in Ep. ad Coloss. c.* 4. *hom.* 10.): „ Per se „ magnum malum est nimius ornamentorum appetitus „ & desiderium, etiamsi nullum aliud inde enasceretur, „ sed citra periculum id liceret habere: nam ad inanem „ gloriam fastumque parat & instruit “. Vere deploranda est parentum cæcitas, qui sine ullo scrupulo liberos suos perniciosis sæculi pompis assuefaciunt, iis quas a teneris annis tradunt vestibus, eaque quam inculcant imprudenter æstimatione, ornamentorum apparatu superfluo; qua tandem ratione post talem educationem, eorum filiæ assequi possunt ea quæ Divus Petrus tradit præcepta, cum ait (*Ep.* 1. *c.* 3.): „ Quarum non sit ex„ trinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indu„ menti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est „ cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti „ spiritus, qui est in conspectu Dei locuples: sic enim „ aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, orna„ bant se subjectæ propriis viris “?

Qua tandem ratione virgines illæ vanis illis ornamentis assuetæ, quæque ea rebus omnibus præferunt, S. Pauli dictis obtemperabunt, qui ait (1. *ad Tim. c.* 2.): „ Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecun„ dia, & sobrietate ornantes, & non intortis crinibus, „ aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod „ decet mulieres, promittentes pietatem per opera bo„ na “? Timere profecto deberent ne luxu suo minis Isaiæ prophetæ se exponant, quas ille Dei monitu in filias vanas Israel suo tempore profudit his verbis (*Is. c.* 3. 16.); „ Et dixit Dominus: pro eo quod elevatæ sunt „ filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus „ oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus „ suis, & composito gradu incedebant; decalvabit Do„ minus verticem filiarum Sion, & Dominus crines ea„ rum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamen„ tum calceamentorum, & lunulas, & torques, & mo„ nilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & „ periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, „ & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mu„ tatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, „ & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi o-

„ dore

„ dore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti „ crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.

Ideo vero plerumque fit his in ornamentis excessus, quia credunt, eum sine peccato fieri posse, ut enim ait sanctus Gregorius (*hom.* 40. *in Evang.*): „ Sunt non- „ nulli, qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium „ non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non „ esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprime- „ ret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso & „ purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pre- „ tiosa nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut ho- „ norabilior cæteris esse videatur“. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri; præterquam quod satis evidens est, ut ait Tertullianus (*de cultu fœminarum lib.* 2. *n.* 9.) quod *hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium & obstrepant pudicitiæ disciplinæ; dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituunt*. Quare Sanctus Clemens Alexandrinus modum agendi Lacædemoniorum referens (*in Pædagogo lib.* 2. *c.* 10.): „ Laudo, *inquit*, ego, & admiror veterem La- „ cedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus flo- „ ridas vestes, & aureum mundum gestare permisit, a „ probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis „ meretricibus se ornare concederet“. Idem sanctus Pater ibidem lib. 3. cap. 11. ait: „ Ea ergo quæ a fœminis „ ad luxum comparantur, ab eis tamquam pennæ detra- „ hendæ sunt, utque instabilem superbiam, ac molli- „ tiem, inanesque voluptates procreent, quibus excitatæ, „ & quodammodo elatæ, sæpe a matrimoniis resiliunt“.

Quare parentes non satis inculcare possunt liberis suis, modestiæ in vestibus suis amorem, eique eos a teneris annis assuefacere, peculiarem suam venerationem, & æstimationem erga eas significando, quæ talem modestiam observant, easque coram filiabus suis vituperando, quæ contra talem modestiam peccant. Neque umquam aut polliceri, aut dare debent vana hujusmodi ornamenta, tamquam pretium & mercedem actionis bonæ; neque eas ideo laudare debent, aut alias iis præsentibus, quod pulchrioribus vestibus sint ornatæ; imo vero iis vero majorem amorem significare debent quando eas modestius vident vestitas, ac frequenter insinuare, omnia illa ornamenta esse pompas Diaboli, quibus in baptismo renunciarunt.

Eam vero regulam normamque in vestiendis liberis, sive pueris, sive puellis, tum in pueritia, tum in adolescentia, servent, quam personæ pietate simul & modestia spectatæ servare solent suis in liberis vestiendis, servata simul ætatis, & conditionis ratione, quamque illæ in se vestiendis observant; caveantque, ne videantur excedere, sed potius continuum Christianæ modestiæ exem-

exemplum suis præbeant æqualibus,' neque luxum quem vocant *modarum*, ac vanitatum, quas quotidie mundana excogitat industria, sequantur; curentque, ne libri sui eas nimis accurate sequi velint.

Hanc christianam modestiam in ipsa Baptismi susceptione exhiberi, æquissimo Decreto mandat Cardinalis Bonifacius Gaetanus, in Synodo Tarentina (*tit.* 10. *c.* 3. *anno* 1614.), his verbis: „ Infantes ad baptismum suscipiendum, non fericis, auro gemmisque ornatis vestibus, sed lineis albis tantum adduci mandamus: ne dum confessione verbali, mundo ac pompis ejus abrenunciant, re & factis illas gestent atque retineant ". Videri potest Tom. 3. de Baptismo.

Et in eleganti Synodo Amerina (*anno* 1595. *cap.* 3.), vult Antonius Maria Gratianus Episcopus, ut „ moneant Patrinos Parochi, ut hoc officium, non per jocos & vanitatem, sed graviter pieque obeant: viri ut gladios, telaque, & arma ponant: fœminæ, ut modesto in cultu habituque corporis animique accedant; ut ne quibus pompis pro alio abrenunciaturæ adveniunt, earum ipsæ ostentatrices existant: & ipsorum quoque infantium cultus, magis simplicitate (quod & ætatem eorum tum primum vitam ineuntium, & mysterium quo initiantur decet) quam sumptu laudetur. Linteis tegantur puris mundisque, potius quam magno opere elaboratis; multo minus serico auroque intextis: ne interroganti Sacerdoti, an sathanæ pompis abrenuntient? re ipsi negare videantur quod Patrini eorum pro ipsis palam verbis profitentur ". Vide Tom. 5. Tr. 6. c. 9. q. 9.

Quæst. 9. Quænam præsertim magis evitanda sunt, ac majori cum horrore a filiabus avertere debent parentes, corporis ornamenta?

Resp. Quoniam quidem muliebris sexus totus pronus est, ut pulchrior videatur, & appareat, atque ut aliis placeat, ideoque solet intemperantius, & sine ulla plerumque animadversione, aut attentione animi, perniciosos abusus sequi, pectusque & brachia nuda gestare, variisque vultum fucare pigmentis, & artificiis; parentes profecto tenentur pronam hanc filiarum suarum inclinationem quamprimum sistere, & malum hoc ab ipsa prima infantia saluti admodum perniciosum impedire; quippe quod non solum puellis ipsorum, sed & proximis quoque noceat. Id autem assequi poterunt, si præsentibus filiabus suis pulchritudinem [illegible] corporis despicere videantur, ac impediant, ne idcirco laudentur, & ad vanitatem excitentur, si procurent ut pectus brachiaque modeste cooperiant; easque detestentur, & contemnant, quæ aliter incedunt. Advertendo ad id quod dicit S. Clemens Alexandrinus (*in Pædagogo lib.* 2.*c.*2.), quod „ nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut qui ad videndum incitentur:

„ tur ; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attra-
„ hant ". Denique si parentes fucos omnes, omniaque pigmenta penitus amoveant, aliaque artificia, quibus filiæ utuntur, ut pulchriores appareant, sub prætextu defectus alicujus tegendi, aut vultus speciem conservandi. Ut enim ait S. Cyprianus (*tract. de disciplina virginum*) ; „ Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur ". Unde S. Hieronymus in compendio vitæ sanctæ Paulæ advertit, quod continue flebat, eo quod similia fecerat in juventute sua ; ait enim (*ep. 17. ad Eustoch.*). „ Cum a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicæ lectioni, ajebat ; Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, cerussa, & stibio sæpe depinxi : affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpeti compensandus est fletu : mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicii compensanda : quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero ".
Non satis his rebus invigilare possunt parentes, si verò Dei zelo tangantur ; si salutem liberorum, & proximorum ament, omnem adhibebunt industriam, ut periculosam illam virginum animis a corrupta natura insitam inclinationem, ut pulchriores videantur, penitus evellant. Sin autem negligant, caveant, ne Deo exactam reddant rationem pro infinitis peccatis, quæ ex iis abusibus nascuntur.

Verum quia hac de re, occasione data, egimus primo hujus moralis tractatu cap. 26. de intentione ; & cap. 17. de consuetudine : tract. 3. cap. 8. de venditione : Tom. 3. tractatu 4. de Eucharistia cap. 8. Tom. 4. tract. 6. de Pœnitentia cap. 9. Et quoniam multi sancti Patres plenius de hac materia egerunt ; hic pauca tantum verba referam ex Divo Augustino, S. Clemente Alexandrino, S. Cypriano, & Tertulliano, ut intelligant parentes, quanta cum diligentia teneantur hos abusus impedire, filiasque suas non modo verbis, sed exemplis instruere. S. Augustinus relatus in Canone ait (*Can. fucare, de consecr. dist. 5.*) : *Fucare figmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est*. Et ut pulchre dicit Sanctus Clemens Alexandrinus *S. Clem. in Pædagogo lib. 3. c. 2.* ; „ Quemadmodum cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem : ita fuci, tincturæ, & colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant ". Et ex S. Cypriano *tract. 2. de habitu virginum*.) ; „ Ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia fucorum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Sic in Scripturis Sanctis quibus nos instrui Dominus voluit, „ & mo-

„ & moneri, describitur civitas meretrix compta pulchrius, & ornata, & cum ornamentis suis ac propter ipsa potius ornamenta peritura. *Parentes filiabus suis insinuent quod ait Tertullianus (de cultu fœminar. lib. 2. n. 2.):* „ Christianæ pudicitiæ, appetitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis. Primo quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quam naturaliter invitatorem libidinis scimus. Quid igitur excitas in te malum istud, cujus te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam instando perficiunt, certe vel spiritum scandalo promovent “.

Unde etiam Antonius Maria Cardinalis Gallus, in Synodo Auximana (*ann.* 1593. *de Euchar. c.* 10.), sic statuit: *mulieres fucatæ, & quæ margaritas, monilia, capitis comas petulanter compositas, aliave vana ornamenta deferre non erubescunt, ad Communionem non admittantur.* Vide Tomo 3. Tractatu 4. capite 11. quæstion. 4.

Quæst. 10. An parentes teneantur summa cum diligentia filiis præceptores procurare bonos, & efficere, ut studeant in Collegiis, ubi major viget disciplina?

Resp. Parentes summa profecto cum cura tenentur liberos suos educare, illudque præcipuum est illorum munus, & debitum erga liberos officium: ac cavere debent, ne dum humanioribus litteris imbuuntur, ac scientias discunt humanas, periculo amittendæ pietatis & devotionis exponantur; ideoque præceptores eligere debent, qui pietate, magis etiam quam eruditione, sint commendabiles; ut liberos suæ curę commissos, per instructiones suas ad Christianarum virtutum exercitium frequenter adhortentur, & a vitiis adolescentibus ordinariis eos avocent.

Unde Sanctus Hieronymus ad Lætam, Epist. 7. ait; „ Magister probæ ætatis & vitæ atque eruditionis est eligendus ... difficulter eradicatur, quod rudes animi perhibeunt. Lanarum conchilia quis in pristinum candorem revocet? recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est“. Ideoque Sanctus Joannes Chrysostomus cæcitatem deplorat parentum, dum ait (*hom.* 20. *in Matth.*): „ Majorem asinorum ac equorum, quam filiorum curam habemus. Nam si burdonibus atque asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentem, aut furem, aut rei ejus imperitum præficiamus. Sin vero ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inveniendus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus; nec consideramus nullam artem hoc artificio sublimiorem non inveniri. Quid enim majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? omni certe pictore, omni certe statuario, cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc

„ duco,

„ duco, qui juvenum animos fingere non ignorat. Atta-
„ men nos omnia spernimus, ac illud tantummodo con-
„ sideramus, quomodo volubilitate linguæ adolescentes
„ præstabunt; quod etiam quæstus gratia facimus; non
„ enim ut eloqui sciant, sed ut pecuniam eloquentia col-
„ ligant, eloqui student “.

Præter autem curam eligendi boni præceptoris, parentes, quantum fieri potest, curare debent, ut in optimis collegiis filii educentur, ubi morum disciplina viget, & ubi cavetur, ne promiscue juvenum animi poetarum fabulis impleantur, sine ullo delectu, quod quidem postmodum juvenum moribus non leviter nocere possit.

Sanctus Augustinus indicat, hæc studia non leviter sæpius nocere, cum ait (*Confess. lib.* 1. *c.* 13.): „ Tene-
„ re cogebar Æneæ nescio cujus errores, oblitus erro-
„ rum meorum, & plorare Didonem mortuam, quia
„ se occidit ob amorem. *Et c.* 16. *ait*: Talis dementia,
„ nobiliores & uberiores litteræ putantur, quam illæ
„ quibus legere & scribere didici. *Et c.* 17. *subdit*:
„ Nonne ecce illa omnia fumus, & ventus? ita ne aliud
„ non erat, ubi exerceretur ingenium meum, & lingua
„ mea laude tua Domine? laudes tuæ per Scripturas
„ tuas suspenderent palmitem cordis mei, & non rape-
„ retur per inania nugarum turpis præda volatilibus?

Hæc Divi Augustini verba graviter deplorantis consuetudinem illam liberos instruendi, Ethnicorum, & Poetarum fabulis sine ullo delectu, cum magis idoneæ plerumque sint ad excitandas, alendasque passiones, & impudicitiam potius provocandam, quam ad humaniores litteras tradendas; parentes incitare deberent ad procurandam liberis suis educationem magis christianam; ac ubi Ethnicorum libri legendi sunt, ii non sine delectu legi debent, sed selecta quæque loca, minusque periculosa, & ab iis affectibus vacua, quibus adolescentum animi commoveri plerumque solent, iis ita debent explicari, ut prava hujusmodi studia, pravique affectus cum ipsis simul litteris in eorum animos non illabantur.

Sanctus Hieronymus hac de re scribens ad Lætam Epist. 7. inquit: „ Discat primo psalterium, his se can-
„ ticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad
„ vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt,
„ calcare: in Job virtutis, & patientiæ exempla secte-
„ tur. Ad Evangelia transeat, numquam ea positura de
„ manibus. Apostolorum acta, & Epistolas tota cordis
„ imbibat voluntate: cumque pectoris sui cellarium his
„ opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas,
„ Pentateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros,
„ Esdræ quoque, & Ester volumina ..... Cypriani
„ Opuscula semper in manu teneat: Athanasii Episto-
„ las, & Hilarii libros inoffenso decurrat pede: illorum
„ tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum li-
„ bris pietas fidei non vacillet “.

Hac

Hac ratione Sancti Patres adolescentium animos erudiri volebant: neque levis fortasse corruptionis oritur occasio in Christianorum juvenum moribus, quod contrariam plerumque sequantur educandi rationem.

Verum si parentes periculosæ huic juventutis educandæ methodo teneantur obsistere, majori profecto cura cavere debent, ne cum Philosophiæ, & Theologiæ student, corruptæ Moralis, carnisque, & sanguinis affectibus plane conformis, imbuantur placitis, quæ vitiatæ naturæ pravos alit affectus: eosque ab his opinionibus adeo periculosis avocare debent, quæ Christianorum vitam non tam Christi præceptis student conformare, quam Christi mandata, regulasque morum, pravis hominum affectibus accommodare. Qua de causa S. Carolus in Concilio Mediolanensi 6. ait (*In Orat. habita in eod. Conc.*): „ Longe „ absint a nobis voces illorum, qui consuunt pulvillos „ sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub ca„ pite universæ ætatis, ad capiendas animas ".

Quæst. 11. Quænam sunt occasiones periculis plenæ, quas parentes potissimum removere debent a liberis suis?

Resp. Quoniam quidem non ex alio fonte frequentius oritur adolescentium ruina, quam ex prava societate; certum est, parentes omni cum cura & diligentia debere liberos suos ab ea prorsus avertere, & præservare: qua in re consilium sequi possunt, quod sancta Teresia sua tradit in vita, manu propria conscripta, c. 2. ubi ait; Mihi cognati erant germani, qui paternam domum frequentabant; cæteris enim omnibus diligentissime ejus aditum præcludebat pater; atque utinam etiam ipsos prohibuisset cognatos germanos: nunc enim video pericula tenerioris ætatis, cum prima virtutis semina pullulare solent, quantumque cavere debent parentes, ne mundi vanitatem liberi cognoscant, neve ullum commercium habeant cum iis, qui liberos ad has mundi pompas inclinent. Ejusdem propemodum eramus ætatis, sed ii paulo me provectioris: simul fere semper conversabantur, me admodum diligebant; ego vero iis referre solebam ea, quæ eorum placebant ingeniis; mihi quoque suos referebant amores, eorumque successus, & ejusmodi frivola, quæ castioribus auribus non placent; quin etiam iis affectibus mollior metus tunc animus obnoxius erat, iisque cedebat impressionibus: unde mihi prima mali labes. Ah! si mihi liceret consilium dare parentibus, consulerem profecto, ut ab iis primis caveant, qui cum liberis suis in ætate tenera societatem ineunt, aut cum iis frequenter conversantur: quoniam corruptæ naturæ nostræ inclinatio, prona semper magis est in malum quam in bonum: id ipsa ego sum experta: nam ex spectatissima virtute, & probitate sororis meæ majoris, nullum omnino fructum precepi; e contra vero cognatæ cujusdam meæ prava sequebar exempla, quæ paternas ædes meas sæpius frequentabat. Et paucis post verbis ait:

Non-

Nonnunquam obstupesco, cum recordor malorum, quæ ex prava societate nascuntur; quæ quidem talia sunt, ut ea vix ipsa crederem, nisi fuissem experta: quod quidem malum maxime timendum est in ætate tenera, & optarem vehementer, ut parentes omnes ex pravo mearum culparum exemplo fructum aliquem perciperent, ut summa cum cura, & diligentia talibus deinceps periculis obviam eant; enimvero adeo ex illa familiaritate, quam cum ista cognata mea contraxi, sum mutata, ut vix aliquod bonæ indolis vestigium in mente mea reliquerit, & quæ prius erant virtutum semina, fere penitus extirpavit; eaque & altera, quæ simili modo vivebat, easdemque sequebatur nugas, pravos suos habitus, & inclinationes menti meæ quodammodo impresserunt.

Quare si parentes proficere velint, fructumque aliquem ex salutaribus his sanctæ Theresiæ documentis percipere, ne Deo rationem reddere teneantur propter liberorum suorum jacturam & ruinam, ex negligentia profectam; in primis cavere debent, ne filiæ suæ cum pueris commercium habeant, aut colloquium, sive in scholis, sive in ludis; neve pueri similiter frequentent puellas: & hac in parte sancti Hieronymi, scribentis ad Gaudentium, consilium sequantur: *Sexus femineus sexui suo jungatur; nesciat puella, imo timeat, cum pueris ludere.* Unde Concilium Cameracense (1565. *tit. de Scholis c.* 2.) ait: *Et quantum fieri possit, in scholis puerilibus puellæ separentur a pueris.*

Idemque sanctus Hieronymus scribens ad Lætam, inquit, „ Nusquam absque te prodeat in publicum. Basili-„ cas martyrum, & Ecclesias sine matre non adeat. Nul-„ lus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat ... Nolo de „ ancillulis suis aliquam plus diligat, cujus crebro auri-„ bus insusurret: quidquid uni loquitur, hoc omnes sciant. „ Placeat ei comes non compta, neque formosa, atque la-„ sciva, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur: sed „ gravis, pallens, sordidata, subtristis. Præponatur ei „ probæ fidei, ac morum, & pudicitiæ virgo veterana."

Secundo parentes omni cura eniti debent, ne pravorum societate, liberorum suorum mores corrumpantur. Hos enim laqueos junioribus tendere plerumque solet dæmon, & quos nec educationis defectu, nec parentum indulgentia, nec indocilitate ingenii perdere potuit, eos improborum societate, & confabulatione sæpe pervertit: adeo ut dici vere possit, malignum spiritum non aliis frequentius instrumentis uti, quam hominibus, ad pervertendos homines. Quare Sapiens ab hoc periculo volens avertere juvenes, ait (*Prov. c.* 1. *v.* 10.): *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt.* Et in alio loco (*Cap.* 4. 14.): *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea*

nec transeas per illam: declina: & desere eam. Cujus quidem dicti rationem assignat, dum ait (*Prov. c.* 13. *v.* 10.): *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur*. Et Apostolus Paulus ait (1. *ad Cor. c.* 5.): *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Et sanctus Ambrosius in hunc Apostoli locum scribens (*in epist.* 1. *ad Cor. c.* 15.): „ Significat, *inquit*, confabulatione malorum hominum, „ everti posse bonorum propositum: assiduitas enim pravi „ colloquii vitiat mentem, ac per hoc ab his caven- „ dum ".

Enim vero, ut ait sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione 1. toto impetu, & desiderio prona fertur in malum natura nostra, adeo ut, si cum improbis societatem & amicitiam ineamus, eorum agendi, loquendique licentia, naturæ corruptæ penitus favens, in mentes nostras suaviter, & sensim sine sensu illabatur; & licet eorum facta in initio non ita nobis placeant, paulatim tamen mentes nostras corrumpunt, & perversis suis exemplis nos ad eos imitando invitant, & assuefaciunt. Ideoque sanctus Augustinus ait (*in Psal.* 6.): „ Nam cum „ alii amant, & appetunt istum mundum, alii se optant „ ab isto mundo liberari, quis non videat, illos inimi- „ cos esse istis? Nam si possunt, hos secum ad pœnas „ trahunt, & magnum donum est, inter eorum verba „ versari quotidie, & non excedere de itinere præ- „ ceptorum Dei; sæpe enim mens nitens pergere in „ Deum, concussa in ipso itinere trepidat, & plerumque „ propterea non implet bonum propositum, ne offendat „ eos, cum quibus vivit, alia bona peritura, & transeun- „ tia diligentes, atque sectantes. Ab his separatus est „ omnis sanus ".

Quæ Sacra Scriptura, & Sancti Patres dicunt de pravorum sociorum gravi periculo, præsertim in juventute, satis ostendunt, quanta cura parentes liberos suos a perversorum societate debent avocare; neque solum eos debent avertere ab iis, qui vitiosam vitæ rationem aperte profitentur; verum etiam ab iis, quorum confabulatio, licet non palam appareat vitiosa, a pietatis tamen studio paulatim eos revocat, a Sacramentorum frequentatione, ab oratione, & piorum librorum lectione; quique insinuare possunt, hæc virtutum exercitia nec esse necessaria, nec eorum ætati, seu conditioni congrua, & convenientia; neque alios miscere solent sermones, quam de voluptatibus, de recreationibus, de rebus in hoc mundo sperandis, deque vanitate, & fama, & honoribus hujus sæculi consequendis. Denique ab eorum societate & conversatione revocandi sunt liberi, qui continuo degunt in otio, qui non aliud cogitant, aut animo versant, quam ut vitam hilariter agant in jocis, ac ludicris rebus, qui cauponas, choreas, & comœdias frequenter adeunt; ac præcipites tandem in gravia sunt pericula,

in quæ simul abripiunt secum eos, qui eorum confabulatione delectantur.

Quæst. 12. Tenentur-ne patres, & matres impedire, quominus liberi qui profanas addiscunt *cantilenas*, fabulosas & imaginarias legant historias, quas romansias vocant; & comœdias frequentent?

Resp. Quæ diximus de parentum officio liberis debito, ut eos secundum pietatem educent, & avocent ab iis, quæ cupiditati placent, ac virtutum semina in junioribus animis possunt opprimere; satis ostendunt, parentes curare debere, ne liberi profanas illas, & mundanas cantilenas addiscant: quoniam quidem certum est, eas non mediocriter mundi amorem promovere, & juvenum animos admodum periculose ad impudicitiam plerumque provocare; & vix, ac ne vix quidem, innocentiam conservare posse, quando iis rebus assuescunt, quæ Christianæ Religionis placitis, & principiis ita contraria sunt, quarumque venenum facile repit, & ad cor usque penetrat.

Quare sanctus Paulus Apostolus ait (*ad Ephes. c.* 5. *v.* 3.): *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent*. Hinc etiam est, quod sanctus Hieronymus ait (*ad Gaudentium.*); *Vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes, puellarumque lasciviæ repellantur: quæ quanto licentius adeunt, tanto difficilius evitantur*. Enimvero sanctus Augustinus de se ipso loquens in Confessionibus asserit (*Conf. l.* 10. *v.* 33.): *Voluptates aurium tenacius me implicaverant, & subjugaverant*. Et legimus in Institutionibus Lactantii Firmiani (*Instit. divinarum c.* 21. *lib.* 6.): „ Illa omnia, quæ verbis carent, id est, aeris, & nervorum suaves soni, possunt facile contemni, quia non adhærent, nec scribi possunt; carmen autem compositum, & oratio cum suavitate decipiens, capit mentes, & quo voluerit, impellit ... Assueti dulcibus, & politis, sive orationibus, sive carminibus, divinarum litterarum simplicem, communemque sermonem pro sordido aspernantur; id enim quærunt, quod sensum demulceat: persuadet autem, quidquid suave est, & animo penitus, dum delectat, insidet ... Nihil auditu suave sit, nisi quod alit animam, melioremque te reddit. Maximeque hic sensus non est ad vitium detorquendus, qui nobis ideo datus est, ut doctrinam Dei percipere possemus. Itaque si voluptas est audire cantus, & carmina, Dei laudes canere, & audire jucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est ". Quin etiam legimus apud Eusebium Pamphilum Cæsareæ Palæstinæ Episcopum (*l.* 12. *de præparatione Evang. c.* 24.): „ Ut igitur pueri animus legem ita sequatur, ut una cum ea gaudeat, atque doleat; odas perdiscant, crebroque cantitent, quibus laudes, atque vituperationes

„ earum rerum contineantur, quas lex laudat, atque vitu-
„ perat. Quoniam enim teneriores anni rationem virtutis
„ non suscipiunt, ludo, atque cantu præparantur. Jure igi-
„ tur apud nos Prophetarum odæ a pueris addiscuntur ".

Quare parentes curare debent, ut liberi sui cantilenas addiscant spirituales, quibus & religionis christianæ documenta tradantur, & ad virtutis exercitium excitentur; cujusmodi cantilenæ a viris piis vernacule factæ sunt multæ, & in dies fiunt, quæ quidem plurimum juvenibus prodesse possunt, qui canere amant, non modo ut a turpibus cantionibus eos avertant, verum etiam ab iis, quæ speciem quandam virtutis præseferunt, quæque tamen tacitum venenum instillant, & vitiosos affectus inflammant: dum eosdem illos fuco quodam honestatis vestiunt, ac contegunt. Eædemque certe rationes, quibus parentes tenentur filios suos a periculosis avertere cantionibus, eos magis obligant, ut illos a legendis fabulosis historiis, & libris avocent, quibus castitas gravissimo sæpius exponitur periculo: sed imprimis a comœdiis eos avertere tenentur, quæ ad eos tantum pertinent, qui dæmoni servire volunt. Ut enim ait Sanctus Joannes Chrysostomus (*hom.* 5. *in c.* 2. *Matth.*): „ Quod certe proprium est Diabolo militan-
„ tium; ille enim est, qui etiam in artem jocos, ludos-
„ que digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi,
„ virtutisque eorum nervos faceret molliores. Propterea in
„ urbibus etiam theatra construxit, & illos risuum, ac
„ turpium voluptatum incentores paravit, & per illorum
„ luem in universam urbem talem excitat pestem.

Tertulliano etiam referente (*de spectaculis*, c. 26.):
„ Exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris, quæ
„ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque
„ in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod
„ ausus esset fidelem aggredi; Constanter & justissime
„ quidem, inquit, feci, in meo eam inveni ".

Si filii Clerici sunt, aut fieri desiderant, majori sine dubio cura a comœdiis retrahendi sunt a parentibus, cum talia Ecclesiasticis expresse prohibita sint, ut sæpius diximus, & præcipue Tom. 5. tract. 8. c. 4. q. 4. Unde etiam in Edicto a Carolo Bascapè, Episcopo Novariensi, promulgato, sic habetur (*in Ordinatione data anno* 1595.) (*): „ Hac nostra Ordinatione, in vim Sacrorum Ca-
„ no-

(*) Con questa nostra, in virtù de' sacri Canoni, spezialmente del Sacro Concilio di Trento, e del nostro Editto sopra la vita ed onestà del Clero: comandiamo a tutti gli Ecclesiastici di qualsivoglia grado e stato, che non intervengano in verun modo alle commedie, ed azioni di istrioni, con qualunque nome siano chiamate, sotto pena della sospensione a divinis, da incorrersi ipso facto; la cui assoluzione ci riserviamo: avvertendogli, che si procederà ancora per cattura contra gli inobbedienti.

„ nonum, & in specie Sacri Concilii Tridentini, & E-
„ dicti nostri de vita & honestate Clericorum, prohibe-
„ mus Ecclesiasticis omnibus cujuscumque gradus, con-
„ ditionis, & status, ne præsentes ullo modo sint comœ-
„ diis, & histrionum repræsentationibus, quocumque no-
„ mine appellentur; sub pœna suspensionis a divinis ipso
„ facto incurrendæ, cujus absolutionem nobis reservamus;
„ monentes, quod contra inobedientes etiam per carce-
„ rationem procedetur". Vocabatur autem D. Episcopus, Jo. Franciscus a Basilica Petri, sed postea factus Episcopus, in honorem S. Caroli, Carolus appellari voluit, sine cognomine. Vide quæ diximus Tom. 6. tract. 4. c. 2. num. 4.

Quæst. 13. Parentes tenentur-ne præbere bonum exemplum liberis suis?

Resp. Hæc obligatio eo arctius parentes constringit, quod, ut ait sanctus Leo Papa (*in serm. de jejunio*): *Validiora sunt exempla, quam verba, & planius docetur opere, quam voce*. Omnes enim piæ instructiones, sanctaque documenta, quæ a parentibus liberis traduntur, vana plerumque forent, nisi dictis facta & exempla respondeant, easque liberorum oculis subjiciant veritates, quas docere, & inculcare student. Nam, ut ait sanctus Augustinus (*in Ps. 136. sub finem*): *Quid facturus est adhuc infans anima tenera, attendens ad majores quid agant, nisi ut, quod eos viderit agere, hoc sequatur?* Quare sanctus Hieronymus ad Lætam scribens de ejus filia educanda, ait: *Te habeat magistram, te rudis miretur infantia; nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.*

Enimvero exempla, factaque, longe magis animos movent, quam documenta, & instructiones quæque eloquentissimæ. Ut enim ait sanctus Joannes Chrysostomus (*hom. 5. in epist. 2. ad Thess.*): „ Dicere quidem est facile, age-
„ re autem cum opus fuerit, cuivis est difficile; propter-
„ ea ex factis humana natura magis solet corrigi, &
„ componi. Necesse enim est, *ut ait sanctus Gregorius*
„ (*p. 3. Pastor. admonitione 5.*), *quod* Patres discant,
„ quomodo etiam commissis exempla bene vivendi exte-
„ rius præbeant. Scire etenim Prælati debent, quia si
„ perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt,
„ quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.
„ Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custo-
„ diant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli mo-
„ riuntur, sed aliorum animarum, quas pravis exemplis
„ destruxerunt, rei sunt. *Sanctus Augustinus etiam ait*
„ (*l. de Pastor. c. 4.*): Omnis qui male vivit in con-
„ spectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso
„ est, occidit. Qui ergo imitatur præpositum malum,
„ moritur: qui non imitatur, vivit: tamen, quantum
„ ad illum pertinet, ambos occidit".

Quod

Quod quidem satis ostendit, non leviter peccare parentes, quoties liberis suis male vivendo præbent occasionem peccandi. Sic enim Dominus noster Jesus Christus dicit in Evangelio (*Matth. c.* 18. *v.* 6.): *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Minime autem dubium est, quin parentes scandalose viventes, majorem scandali occasionem, quam cæteri, liberis suis præbeant. Cum enim ipsis a Deo traditi, & commissi sint, ut ab iis in timore & amore Creatoris edoceantur; has certe Christi Domini minas longe magis, quam ceteri, metuere debent, atque adeo se suaque facta ita componere tenentur, ut sint forma, normaque vivendi, tum liberis, tum domesticis suis: eorum enim exempla sæpius movent, quam eloquentissimæ quæque Prædicatorum conciones; ut enim nos docet sanctus Chrysostomus (*hom.* 5. *in ep.* 2. *ad Thessal.*): „ Esto vir quidam Deo charus, & virtute „ resplendens, & habens uxorem, & liberos, & servos, „ non iis omnibus multo magis poterit prodesse, quam „ ego? nam cum in mense semel, aut bis, aut ne semel quidem audientes, & quæ audierint, fortasse, „ cum usque ad limen Ecclesiæ servaverint, statim abjiciunt; illius autem vitam videntes assidue, multum „ lucrantur .... Mulier si viderit virum placidum, & „ modestum, multum lucratur semper cum eo versans, „ & puer itidem. Licet ergo unicuique esse Doctorem.

Quæst. 14. Parentes tenentur-ne accurate corrigere liberos?

Resp. Hæc parentum obligatio frequenter repetitur in Scriptura sacra, ne molliores, & indulgentiores sint ergo liberos, quibus parentum indulgentia graviter nocere solet, quia pravos eorum habitus alit, ac fovet, cum eos sanare teneantur; hi sæpe habitus cum ætate crescendo invalescunt, ac incurabiles quodammodo fiunt.

Quare Sapiens ait (*Prov. c.* 23. *v.* 13.): *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*. Hanc profecto parentum in corripiendis liberis negligentiam impedire deberent: verum attendant præterea dictis sancti Gregorii Magni, sic loquentis (*in registr. ep. lib.* 7. *ep.* 6. *Idem Ep. lib.* 9. *Ep.* 63. *Ad Brunichildam Reginam*): *Qui non corrigit resecanda, committit*. Et in alio loco: *Qui emendare potest, & negligit, participem se procul dubio delicti constituit*.

Parentum amor erga liberos, Christianus esse debet, seu talis, qui eos impellat ad inquirenda omnia media, quibus summum bonum, quod nihil aliud est, quam Dei possessio, ipsis possint acquirere. Hanc autem Dei possessionem sola pietate & virtute comparabunt. Quare ubi parentes vident, se posse liberos suos hac correctione a

via

via perditionis avertere, a via inquam larga, & spatiosa, quæ secundum doctrinam Christi Domini ad inferos ducit, eam constanter adhibere debent, nec carni, aut sanguini leviter, aut molliter acquiescere.

Quoniam Sapiens est (*Proverb. c.* 13. *v.* 24.): *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Et sanctus Bernardus ait (*in Ps. Qui habit. ser.* 10.): *Nec ipsi quidem filio expedit sic amari, ut videlicet, cui interim caves a flagello paternæ correctionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. Non omnis, qui parcit*, ait Sanctus Augustinus (*ep.* 48. *ad Vincentium de corrigendis hæreticis*), *amicus est: nec omnis, qui verberat, inimicus: melius est cum sævitate diligere, quam cum lenitate decipere.*

Amandi sunt liberi, verum summa cum prudentia; nec aliud fortassis veri amoris signum est evidentius, quam corripere, quando id exigit utilitas ejus, qui amatur.

Unde, ut ait sanctus Augustinus, relatus in Canone (*ad Lotharium refertur in Can. qui vitiis* 23. *q.* 5.): *Qui vitiis nutriendis parcit, ne contristet peccantium voluntatem; tam non est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.* Non amantis, sed crudelis est potius, vitia, malosque liberorum habitus fovere, ne cogantur lacrymare: talisque indulgentia non tam parentum, quam inimicorum indicium est.

Hinc in Ecclesiastico legimus (*c.* 30.): Qui diligit
„ filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in no-
„ vissimo suo. Qui docet filium suum, laudabitur in il-
„ lo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. E-
„ quus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet
„ præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude
„ cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne do-
„ leas, & in novissimo obstupescent dentes tui. Non des
„ illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus
„ illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde la-
„ tera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non
„ credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium
„ tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius
„ offendas “.

In hac Sacræ Scripturæ doctrina videmus, correctionem liberorum summi esse momenti, ut bene, & diligenter educentur. Asserere etiam possumus, sæpius parentes in illa educatione deficere, quia non corripiunt, ut par est. S. Joannes Chrysostomus deplorat negligentiam parentum, ac ostendit, eam esse multorum malorum causam, & fontem, propter quam severissime in hac etiam vita a Deo castigantur: ait enim (*advers. vituperator. vitæ monasticæ lib.* 3.): „ Unde ergo acerbæ, & in-
„ tempestivæ mortes? unde morbi perpetui, atque gra-
„ vissimi plerumque nobis, & liberis nostris inferuntur?
„ unde damnis, & incommodis afficimur? unde casus va-
„ rios

„ rios, unde calumnias, unde mala innumera quotidie „ perpetimur? nonne quod filios nostros aspicimus, & „ eos emendare negligimus? "

Quæst. 15. Quomodo parentes debent corrigere filios suos?

Resp. Videtur modum insinuare Apostolus Paulus, dum ait (*ad Ephes. c. 6. v. 4.*): *Vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini*; hoc est, in modo, quo Deus corrigit, & erudit suos, imitantes amorem, quo Pater hic cœlestis corripit filios suos, ut destruat in illis quidquid malum est, & ut eos meliores efficiat. Ut enim legimus in Scriptura (*ad Hebr. c. 12.*): *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Correctio, qua parentes tenentur erga liberos uti, tria præcipue requirit; nempe ut sit proportionata ætati, & ingenio filiorum, ita ut illis sit utilis; proportionata quantitati, & qualitati culpæ ab illis commissæ; ne si passim, & temere corrigantur, assuescant hujusmodi pœnis, & potius indurentur, quam corrigantur.

Secundo, correctio debet esse lenis, hoc est, adhibenda non est a parentibus, quando motibus iræ rapiuntur, ne excedant, huic passioni indulgendo. Quare corrigendi sunt potius liberi, subtrahendo aliquid, quod illis sit gratum, quam dure cum illis agendo: & ita tractari debent, ut magis doleant se contemni, ac despici, quam si pœnis corporalibus afficerentur.

Denique correctio debet esse valida, ita ut non negligantur validiora remedia ad reprimendos filiorum excessus, si forte advertant parentes, faciliora remedia liberis non profuisse. Sed & continuo, ac perseveranter pravi eorum affectus reprimendi sunt; neque terreri debent parentes, seu desistere, quod exiguum sæpe videant fructum suæ correctionis. Sanctus Gregorius Magnus parentes docere videtur, quomodo liberos suos corripere, & qua ratione mansuetudo eorum cum severitate est temperanda, cum ait (*lib. 19. moral. c. 12.*): „ Regat disciplinæ vi„ gor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & „ sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit „ frigidus, nec mansuetudo dissoluta ".

Ut igitur in correctione, justa quædam, & æqua ratio servetur, non levis est momenti, ingeniorum diversitatem observare, cum reprehendendi sunt, ut correctio intentum consequatur effectum, morum scilicet reformationem, quam correctores intueri semper debent; ut enim ait S. Gregorius (*Pastor. par. 3. Admonit. 14.*): „ Nonnumquam qui inter flagellorum duritiam remanent „ incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi; nam ple„ rumque quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis acti-

„ bus

„ bus lenia blandimenta compescunt ; quia & ægros ,
„ quos fortis pigmentorum potio curare non valuit , ad
„ salutem pristinam tepens aqua revocavit ; & nonnulla
„ vulnera quæ curari incisione nequeunt , fomentis olei
„ sanantur ; & durus adamas incisionem ferri minime
„ recipit , sed leni hircorum sanguine mollescit “ .

Verum quia parentes mansuetudine potius , quam rigore , peccare solent in castigandis liberis ; placuit Deo nobis in Scripturis sacris terribile judicium contra parentes tradere , qui liberos suos non castigant eo vigore , quem Dei gloriæ , & salutis animarum zelus desideraret . Legimus in libro primo Regum cap. 2. „ Heli autem erat
„ senex valde , & audivit omnia , quæ faciebant filii sui
„ universo Israeli : & quomodo dormiebant cum mulie-
„ ribus , quæ observabant ad ostium tabernaculi . Et di-
„ xit eis : Quare facitis res hujuscemodi , quas ego au-
„ dio , res pessimas , ab omni populo ? nolite filii mei :
„ non enim est bona fama , quam ego audio , ut trans-
„ gredi faciatis populum Domini . Si peccaverit vir in
„ virum , placari ei potest Deus ; si autem in Dominum
„ peccaverit vir , quis orabit pro eo ? & non audie-
„ runt vocem patris sui ; “ Heli quippe verbis contentus fuit , nec aliam pœnam pro peccatis inflixit , licet nullam , aut profecto exiguam in iis observasset emendationem . Et ut advertit S. Joannes Chrysostomus (*lib. 3. adversus vituper. vitæ monasticæ*) : „ Non o-
„ mnia quæ fuerunt agenda , ut ea resecarentur vitia ,
„ molitus est ; & ipse cum illis una periit . Namque &
„ minas ille addere debuerat , & a suo eos conspectu amo-
„ vere , atque abdicare , & verberibus afficere , multaque
„ illis gravius , & durius instare . Quia igitur nihil ho-
„ rum egit , verborumque tantum monitis contentus fuit ,
„ & illis , & sibi ipsi Deum adversum infestumque consti-
„ tuit : Cumque improbe , & intempestive filiis parceret ,
„ & suam simul , & illorum salutem perdidit “ . Et revera revelavit Deus Samueli punitionem , quam sumere decreverat de Heli summo Sacerdote , & de omni domo sua (*l. 2. Reg. 3.*) : „ Et dixit Dominus ad Samuelem ;
„ Ecce ego facio verbum in Israel ; quod quicumque au-
„ dierit , tinnient ambæ aures ejus . In illa die suscitabo
„ adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus :
„ incipiam , & complebo . Prædixi enim ei , quod judi-
„ caturus essem domum ejus in æternum propter iniqui-
„ tatem , eo quod noverit indigne agere filios suos , &
„ non corripuerit eos . Idcirco juravi domui Heli , quod
„ non expietur iniquitas domus ejus victimis , & mune-
„ ribus usque in æternum “ . Quæ quidem prophetia tremendo postmodum exitu completa fuit , ut in eadem Scriptura legimus ; ambo enim filii Heli eodem die occisi sunt , populus Israeliticus a Philistæis profligatus , & Arca fœderis capta fuit . Quæ cum delata fuerunt Heli , e sede sua retrorsum concidit , statimque mortuus est , tota-

que

que ejus familia dignitate Sacerdotali deinceps privata fuit.

Quæst. 16. Quænam sunt officia, seu debita parentum erga domesticos suos, totamque familiam?

Resp. Sancti Ecclesiæ Patres sæpe comparant curam, quam gerere debet paterfamilias, curæ gerendæ ab Episcopo erga subditos, & Diœcesanos suos; ait enim S. Augustinus (*in Ps. 50. in fine.*): „ Veruntamen, charissimi, in tanta morum diversitate, & tam detestabili corruptela, regite domos vestras; regite filios vestros; regite familias vestras: quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis in his qui vobis sunt subditi “. Quamobrem asserere possumus, parentes, seu patres familias, teneri curam agere, si suo munere fideliter fungi velint, ut domestici sibi subjecti instruantur, corrigantur, & ad virtutis exercitium incitentur, iisque exemplo præire debent, ac similem propemodum curam eorum agere, quam pro suis habent liberis: licet enim majora filiis suis, magisque indispensabilia, quam domesticis, debeant officia, summam tamen habent affinitatem similesque propemodum effectus debent producere. Unde Scriptura sacra sanctique Patres eodem fere modo, iisdemque verbis hæc duo officia complectuntur, ac simili ratione fidelibus ea præcipiunt. S. Augustinus inquit (*de salutarib. docum. l. unico, c. 20. tom. 4. Aut alius sub Augustini nomine.*): „ Quæso, mi frater, quæso omnibus tibi subjectis, & bonæ voluntatis in domo tua, a majore usque ad minimum, amorem & dulcedinem regni cælestis, amaritudinem & timorem gehennæ annunties, & de eorum salute solicitus ac pervigil existas: quia pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Domino reddes. Annuntia, præcipe, impera, suade eis, ut caveant se a superbia, a detractione, ab ebrietate, a fornicatione, a luxuria, ab ira, a perjurio, a cupiditate, quæ est radix omnium malorum “.

Verum S. Carolus in Concilio Mediolanensi (3. *tit. de his quæ ad matr. sacram. pertinent.*), paucis complecti videtur omnia munera Patrum familias erga domesticos suos, cum ait: „ De familia igitur suæ salutis in primis solicitus, tum bonorum operum exemplo, tum crebris cohortationibus se ei magistrum præbeat, ac ducem ad pie sanctеque agendum. Curet autem, ut nemo quisquam de familia sua sit, qui Christianæ fidei rudimentis instructus non sit, sive filii sint, sive servi, & ancillæ, sive alii in famulatu suo. Quam ob causam ad illius scholas, quos de familia sua rudes norit, convenire jubeat, sique eam ampliorem habeat, domi etiam instrui studeat. Idque ad præscriptas interrogationes parvuli libri eo nomine editi ad Provinciæ usum “.

„ Ut statuta hora, datis institutæ orationis communis signis companarum sono, illa omnis certo loco congre-

„ gata ad præſcriptum temporis ſpatium, ſancte oret & „ precetur. Ut frequenter illa univerſa confiteatur, & „ ſacram Euchariſtiam ſumat. Ut ſingulis diebus Miſſæ „ ſacrificio interſit, aut ſaltem in vigiliis, ſtatutis jeju- „ niorum temporibus, quadrageſimæ diebus, id præſtet: „ Feſtis autem diebus ut ne quis de ſua familia intereſ- „ ſe ullo modo omittat. Ut feſtis præterea diebus ad ſa- „ cras conciones, lectiones, ſupplicationes, divina offi- „ cia, aliaſque pietatis chriſtianæ exercitationes conve- „ niat. Ut ne quis his ſacris diebus opus ſervile faciat. „ Ut vigilias, & quatuor temporum & quadrageſimæ, „ & alia ſtatuta jejunia, illi in familia ſervent, quibus „ Eccleſiæ præcepto juſſum eſt. Quo autem tempore vel „ Jubilæo celebrantur, vel ſupplicationes publicæ pro- „ ceſſionibus fiunt, familiam ſæpe moneant, illis ſan- „ ctis actionibus pie intereſſe. Cæteris item piorum ho- „ minum inſtitutis ſodalitatibus unumquemque de fami- „ lia ſua adſcribi admoneat: quo ſe quiſque ardentiori „ ſtudio exerceat in operibus pietatis. Ne patiatur in fa- „ milia ſua eſſe quempiam, qui blaſphemus ſit, qui per- „ jurus, qui item corruptis moribus utatur, qui obſcœ- „ num quidquam vel loquatur, vel agat, qui aleis lu- „ dat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præ- „ beat. De vitæ præterea ſpiritualis ratione, & piis e- „ xercitationibus, aut de vitis Sanctorum probatos, Sa- „ cerdotis confeſſarii judicio, libros, in quorum lectione „ familia aliquando verſetur, domum ſuam introducat: „ excluſis obſcæne, turpiter, jocoſe conſcriptis, aliiſque „ id generis libris, unde morum, inſtitutioniſque cor- „ ruptela exiſtere poſſit. Ut autem in domeſticæ diſcipli- „ næ inſtitutioniſque officiis, illa omnis accuratius ſe „ contineat, eam aliquando paterfamilias recognoſcat: „ inſpiciatque in primis, quæ univerſæ ſuæ domus Chri- „ ſtiana inſtitutio, qui ſingulorum mores, quæ ad pietatem „ vitamque ſpiritualem progreſſio. Quicumque vero mer- „ caturam, artemque aliquam exercent, non domi ſo- „ lum, ſed in ſuis officinis & tabernis, Chriſtianæ vitæ „ rationes has operariis inſtitutoribuſve ſuis conſtituant.

Hac autem ratione debito patris familias munere erga ſibi ſubditos cum ea fungentur diligentia, quam deſiderat D. Aug., dum ait (*l.* 1. *de Civ. Dei*, *c.* 16.): *Qui autem veri patres familias ſunt, omnibus in familia ſua tamquam filiis ad colendum, & promovendum Deum conſulunt, deſiderantes neque optantes venire ad cæleſtem domum, ubi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neceſſarium non erit officium conſulendi jam in illa mortalitate felicibus; quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur; quam ſervi tolerare quod ſerviunt.* Quia nimirum domini tenebuntur accuratam reddere rationem in extremo judicii die, morum domeſticorum, & ſubditorum ſuorum, qui vero ſerviunt, de ſe tantum rationem reddent.

Celeberrimus egregiis libris editis Antonius Maria Gratianus, in Synodo Amerina (*an.* 1595. *c.* 22.) monet: ut „ matronæ ancillarum pudicitiæ eandem quam filiarum curam habeant, parique custodia tueantur: contra quam plerique faciunt, qui non aliam domesticæ disciplinæ industriam norunt, quam suos parce ac restricte habere, & dum frugi angustique sint, quibus moribus vivant, ad se non existimant pertinere “.

Præterea domini tenentur solvere fideliter, & statuto tempore mercedem, quam domesticis promiserunt; ut dicitur in Scriptura (*Levit. c.* 19. 13.) *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*. Quod etiam Tobias filio suo commendavit, cum illi præcepit (*Tob. c.* 2. 15.): *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui, apud te omnino non remaneat*. Idemque præcipit Apostolus Paulus, dum ait (*ad Coloss. c.* 4. 1.): *Domini quod justum est & æquum, servis præstate, scientes, quod & vos Dominum habetis in cælo*.

Quæ quidem consideratio, si attente inspiciatur, quod communem habeamus Dominum, & supremum judicem, qui nullam habebit personarum acceptionem, Patres familias inducere debet, ut mitius agant cum servis, ac domesticis suis, caveantque ab iis male, sine ratione, cum excessu, castigandis, vel verberandis: quoniam licet humiles in hoc mundo videantur, dominorum tamen suorum sunt fratres in Christo Jesu, membra ejusdem capitis, & ad eandem aspirant mercedem, quam ipsi eorum heri in cælis expectant. Et ut ait S. Clemens Alexandrinus (*in Pædagogo l.* 3. *c.* 11.): „ Neque vero tanquam jumentis famulis utendum est ei, qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, ut cum omni metu dominis, non solum bonis & clementibus, sed morosis etiam & pravis, ait Petrus, subjiciantur; ita æquitas, & patientia, & benignitas dominis pulchre convenit “, eamque exercere debent in omni modo erga domesticos.

Charitas etiam Christiana dominos debet impellere, ac potenter movere, ut domesticorum suorum curam habeant dum ægrotant, ne quidquam temporalis auxilii necessarii ipsis desit; ac imprimis procurare, ne spiritualia, quibus indigere possunt, ipsis desint. Sic enim agendo, sequentur consilium sancti Pauli scribentis ad Ephesios, dum ait (*c.* 6. *v.* 9.): *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud Deum*.

CAPUT III.

De officiis, seu debitis inferiorum erga Superiores suos Ecclesiasticos, civiles, & domesticos.

Quæst. 1. LAici tenentur-ne, sicut Ecclesiasticis, obedire suis Episcopis, aliisque Superioribus spiritualibus?

Resp. Hæc obedientia omnibus hic in quarto præcepto præcipitur, in rebus pertinentibus ad salutem. Hac de causa legimus in Capitularibus Caroli Magni (*l.* 1. *c.* 110.): „ Necessarium judicavimus omnibus præcipere, „ ut honorem debitum venerabilibus Episcopis absque „ ulla simulatione, aut detractione impendant; eisque „ in omnibus, ut patribus obediant, & quidquid pro „ salute animarum monuerit, prout melius potuerint, „ adimplere satagant “. Et in alio Capitulo (*l.* 7. *c.* 309.): „ Volumus, atque præcipimus, ut omnes suis „ sacerdotibus, tam majoris ordinis, quam & inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, „ cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. De illis dictum est: Qui vos audit, me „ audit: & qui vos spernit, me spernit.

Hac de causa legimus in Epistola tertia post medium, quæ tribuitur S. Clementi: „ Quicumque Episcopis non „ obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt. Quicumque obediunt Episcopis suis, videntur aliquid gratiæ „ conferre Deo “. Enimvero secundum S. Bernardum (*in florib. c.* 157. *de obedientia & de præcepto & dispensat. c.* 12.): „ Obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, „ quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus „ omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus: quid „ enim interest, utrum per se, an per suos ministros, „ sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum „ placitum Deus “? Hinc etiam ait S. Gregorius Papa (*regist. l.* 12. *indict.* 7. *ep.* 7.): „ Cum in præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, „ obviamus. Unde Moyses dum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset, ait: Nos enim quid sumus? „ nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum “.

Præcipit etiam Apostolus Paulus fidelibus omnibus, ut summa cum obedientia Superiorum mandatis obtemperent, dum scribens ad Hæbreos, ait (*c.* 3. *v.* 17.): *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* „ Gemitus iste, *scilicet Episcopi, vel* „ *Parochi, de quo loquitur S. Paulus, inquit S. Joannes* „ *Chrysostomus* (hom. 34. in ep. ad Hebræos.) quavis „ ultione deterior est: nam quando ipse nihil proficit, ge-

„ mens vocat Dominum; & quomodo usuvenit in præ„ ceptore, & educatore, quando illum puer non audi„ verit, vocatur, qui in eum gerat se austerius; ita hic „ quoque papæ quantum est periculum “.

Verum si laici teneantur Episcoporum, & Parochorum præceptis obedire in iis, quæ jure ipsis præcipiunt, & authoritate sui muneris, quæque ad salutem animarum ipsorum, & fidelium educationem spectant; citra dubium Clerici specialius tenentur, ac præsertim Presbyteri, summa cum veneratione Episcoporum suorum mandatis obedire: quoniam solemni quodam promisso, seu fide data, cum Sacerdotium susceperunt, eam obedientiam polliciti sunt. Ut enim ait S. Ignatius Martyr (*ep.* 1. *ad Smyrnens.*): „ Laici Diaconis subjiciantur, „ Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus „ Christo, ut ipse Patri “, dum vitam scilicet agebat mortalem. Et legimus in Canone (*Cunctis*, 16. *q.* 1.); „ Cunctis fidelibus, & summopere omnibus Presbyte„ ris, & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum est, „ ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant “.

Denique Sanctus Gregorius Nyssenus ait (*hom.* 2. *in Ecclesiast.*): „ Ut chorus aspicit ad coriphæum, nem„ pe suum ductorem, & nautæ ad gubernatorem, & „ acies ad imperatorem; ita etiam ad Ecclesiæ ducem „ ii, qui sunt in Ecclesiæ cœtu.

Quæst. 2. Debetur-ne honor Ecclesiæ Prælatis, & Ecclesiasticis viris, & Religiosis, qualescumque tandem ii sint?

Resp. Quoniam quidem Deum intueri debemus in iis, qui ejus nomine nobis præsunt, nos ducunt, ejusque ministri sunt, omnes profecto fideles sacras has personas secundum suam dignitatem revereri tenentur, & secundum honoris gradum, quem in Ecclesia tenent; licet eorum vita non respondeat eorum dignitati, & functionum sanctitati. Unde Deus ipse, post honorem sibi debitum, simul etiam præcipit honorem Sacerdotibus exhiberi, quoniam quidem ait (*Eccl. c.* 17.): *Honora Dominum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.* De iis etiam Christus Dominus ait (*Luc. c.* 10. *v.* 16.): *Qui vos spernit, me spernit.* Enimvero, secundum S. Chrysostomum (*hom.* 7. *in Matth. Idem de dignitate Sacerdot. lib.* 3.): „ Sacerdotes Christi vicarii sunt: qui „ honorat Sacerdotem Christi, Christum honorat “. Et in alio loco ait: „ Per ipsos Christum induimus, per ipsos „ Dei filio conjungimur, per ipsos membra beati ipsius ca„ pitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum re„ verendi magis quam reges, aut judices; sed etiam no„ bis magis erunt honorabiles quam parentes “? Hinc etiam legimus in quadam Epistola decretali, quæ S. Telesphoro Papæ adscribitur (*Can.* 3.): „ Ipsi qui proprio „ ore corpus Christi conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, „ obedienti, atque timendi, non dilacerandi, aut detrahen-

„ hendi " : In quo quidem honore deferendo nonnulli sæpe deficiunt, propter malam Presbyterorum vitam, sanctitati status, quem in Ecclesia tenent, minime conformem: nihilominus eorum characteri semper honor debetur: ut enim ait S. Ephrem (*de Sacerdotio*.): „ Sicut „ fulgidissimum aurum, licet luto contaminatum, non percipit detrimentum; neque speciosissima margarita ex con„ tactu quarumdam immundarum specierum; ad eundem „ modum nec sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quan„ tumvis etiam indignus sit, qui illud suscipit ".

Quæst. 3. Quænam sunt cætera fidelium debita erga suos Pastores?

Resp. Debent libenter illis ministrare, quæ necessaria sunt ad illorum sustentationem, & fideliter solvere decimas; quia, ut ait Apostolus (1. *ad Tim. c.* 1.): *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabit os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Et ut ait S. Joannes Chrysostomus (*in epist.* 1. *ad Tim. c.* 5. *hom.* 15.): „ Oportet Docto„ ribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, „ atque solvantur; ne minimis occupati, magnis se ipsos „ atque alios privent: ut spiritualia operentur, nullam sæ„ cularium habentes rationem. Hujusmodi Levitæ erant, „ qui nullam sæcularium rerum habebant curam, quem„ admodum laici". Propter eandem quoque rationem S. Ambrosius scribens in eumdem Apostoli locum ait (*in epist.* 1. *ad Tim. c.* 5.): „ Boni dispensatores, ac fideles, non so„ lum honore sublimi debent digni judicari, sed & terreno, „ ut non contristentur indigentia sumptuum, sed magis gau„ deant fide sua & doctrina; instantior enim fit, si non hu„ milietur inopia, & crescit in illo authoritas, cum videt se „ etiam in præsenti laboris sui fructum percipere, non ut „ abundet, sed ut non deficiat ". Hinc etiam est, quod ait S. Augustinus apud Venerabilem Bedam in eundem locum Apostoli Epist. ad Tim. „ Operarii enim sumus, & adhuc „ in vinea laboramus: finito die, finito opere, merces resti„ tuetur. Sed quis operarius perdurat ad accipiendam mer„ cedem, nisi qui pascitur, dum laborat? non enim & tu „ operario tuo mercedem solam daturus es? unde ergo vivi„ tur, est necessitatis accipere, & charitatis præbere, non „ tanquam venale sit Evangelium, ut illud sit pretium ejus, „ quod sumant, qui annunciant. Si enim sic vendunt, ma„ gnam rem vili vendunt pretio. Accipiant sustentatio„ nem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a „ Domino. Non enim est idoneus populus reddere mer„ cedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt. Non „ expectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem ".

Innocentius Papa tertius, relatus in Canone, tum sordidam sacerdotum avaritiam, tum laicorum ingratitudinem damnat, dum ait (*Cap. ad Apostolicam, de simon.*): „ Ad Apostolicam audientiam frequenti rela-

„ tione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt, & extorquent; & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem, erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis, nituntur infringere. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut libere conferantur Ecclesiastica sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

Quæst. 4. Quænam sunt officia, seu debita inferiorum erga superiores politicos, cujusmodi sunt Reges, & alii principes supremi, magistratus, aliique domini particulares?

Resp. Apostolus Paulus scribens ad Romanos, paucis ea complectitur, quæ subditi supremis suis Dominis, ac Magistratibus debent, dum ait (*c.* 13. *v.* 1.): „ Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

Ex hac Divi Pauli doctrina, & instructione, tum Romanis, tum fidelibus omnibus data, patet, subditos tria præsertim supremis dominis debere, scilicet honorem ipsis, eorumque consanguineis, proximis, ac ministris, seu officialibus, secundum ordinem dignitatis; secundo obedientiam erga leges, & eorum decreta; denique fidelitatem in persolvendis tributis, & vectigalibus ab ipsis impositis ad alendam aulam, & exercitum sustentandum, ac pro omnibus ad Rempublicam pertinentibus. Sanctus autem Petrus Apostolorum Princeps hortatur subditos, ut propter Dei amorem supremis dominis obtemperent, ut inde ita Dei gratiam mereri possint; ait enim (*Epist.* 1. *c.* 1. *v.* 13.): *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia*

sic est voluntas Dei ... Deum timete, Regem honorificate

Quoniam autem magistratus, ac domini particulares, partem aliquam ejus authoritatis habent in aliquos, quam in supremo gradu Reges in subditos omnes possident; iis etiam reverentia debetur, & obedientia, iis in rebus, quæ eorum potestati sunt subjectæ; ac quoties ea non defertur obedientia, sine dubio peccatur. Quare Divus Paulus Tito præcipit (*c.* 3. *v.* 1.): *Admone illos, Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.*

Quæst. 5. Quænam sunt debita domesticorum erga dominos suos?

Resp. Domestici quatuor præsertim debent dominis suis, nempe amorem, reverentiam, obedientiam, & fidem; ut patet ex sancto Paulo, qui scribens ad Colossenses, ait (*c.* 3. *v.* 22.): *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite: qui enim injustitiam facit, recipiet id, quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.*

Sanctus autem Ambrosius in hunc locum scribens, ait (*in ep. ad Colos. c.* 3.): „ Ut promptos illos in obsequio, & fide faciat, mercedem illorum bonorum operum accepturos promittit a Deo in regno Christi. Quod ut probatum sit, & acceptum, sic illos vult obsequi sicut Domino, a quo mercedem expectant. At si inique egerit, non solum hominem offendet, sed & Deum, quem in admissa fraude carnalis domini contempsit. Si autem bene egerit, non erit apud Deum servus hominis quasi despectior: sed remunerabitur quasi liber inter homines, servus autem Christi; quod dignitatis est nomen.

Idem vero Apostolus Tito scribens, vult (*c.* 2. *v.* 9.): „ Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus “. Et in alio loco (*ad Ephes. c.* 6. *v.* 5.): „ Servi obedite dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.

Quem in locum scribens Sanctus Joannes Chrysostomus, ait (*in ep. ad Tit. cap.* 2. *hom.* 4. *in moral.*): „ Noli igitur inspicere, qui ejusmodi es, quod homini servias, sed Deo te servire existima, prædicationique esse ornamento, & omnia facile patieris, obtemperans

„ domino, indignantemque ferens, atque intempestive „ irascentem. Considera semper, te non illi præstare „ gratiam, sed Dei imperiis obsequi, & omnia facilli- „ me tolerabis. Nempe, quod sæpe jam dixi, & sem- „ per dicere propositum est, si spiritualium rerum no- „ bis cura erit, præsentis vitæ necessaria tribuentur. „ Eadem profecto ratione servum, qui ejusmodi fuerit, „ adeo benevolum, adeo obsequentem, atque modestum, „ non modo suscipiet Deus, coronisque donabit, & præ- „ miis sempiternis; verum ipse quoque dominus, etiamsi „ bellua fuerit, etiamsi lapideus, immanis, atque atrox, „ laudabit, & admirabitur, ac cæteris omnibus in ho- „ nore præferet, & præficiet reliquis, etiamsi ipse genti- „ lis fuerit.

Sanctus Paulus Apostolus nihil non molitur, ut ser-vos Christianos inducat, ut semetipsos sanctificent, do-minis bene serviendo, licet paganis; ait enim (1. *ad Tim. c. 6. v. 1.*): „ Quicumque sunt sub jugo servi, „ dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne no- „ men Domini, & doctrina blasphementur. Qui autem „ fideles habent dominos, non contemnant, quia fra- „ tres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt, & „ dilecti, quia beneficii participes sunt “.

Non difficile quidem est, bonis, æquisque dominis di-ligenter inservire; verum si pravi sunt, aut discoli, aut etiam diversæ religionis, fatendum est, non nisi ægre cum amore & affectu servitium ipsis impendi posse, sine excellenti & eximia quadam virtute. Quare Sanctus Pe-trus Apostolus docere nos voluit, domesticos teneri fide-liter quibuscumque tandem dominis servire, dum ait (*Epist. 1. c. 2. v. 18.*): „ Servi, subditi estote in omni „ timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed „ etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei „ conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste: „ Quæ enim est gratia, si peccantes, & colaphizati suf- „ fertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc „ est gratia apud Deum.

Notandum tamen hic, quod ait Princeps Apostolo-rum: *Servi subditi estote dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*: id intelligitur, quando nihil præcipiunt, quod sit contra legem Dei: quia si ta-les domini vellent, servos suos esse suorum scelerum participes, eos ad male agendum excitando, aut impe-diendo; in tali occasione servi dominis obedire non pos-sunt sine gravi peccato: cumque Dei mandata potius, quam hominum jussa servare teneantur, Deo potius, quam homini debent obedire; neque aliquo commodo temporali induci debent, ut peccatis dominorum suorum cooperentur. Quare Innocentius Papa XI. damnavit se-quentem propositionem (*Decretum Innocent. XI. contra 65. Propos. die 2. Martii 1679. 51. Propositio damna-ta.*)

Fa-

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando; non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Quod attinet ad fidem, seu fidelitatem, quam domestici debent dominis suis; sciendum, quod non sufficit, ut abstineant a furando, sed quod hæc fides illos obligat, ad non permittendum, ut alii dominis suis furentur, cum id impedire possunt; ut nihil quocumque modo pereat dominorum suorum per eorum culpam, sed ut curam habeant diligentem rerum omnium, quæ ab ipsis administrantur, eandemque diligentiam impendere rebus heri, quam suis lubenter impenderent. Verum quia hæc fidelitas, quam domestici suis debent dominis, variis prætextibus fuerat obscurata, & quasi eversa, & servi facile induci poterant, ut crederent sibi licere aliquid e bonis heri clam subripere propter compensationem laboris sui, quem majori salario & stipendio dignum putant, quam eo, quod a dominis tribuitur; Sancta Sedes Apostolica varios hujusmodi prætextus penitus auferre voluit, damnando sequentem propositionem (*Decretum Innocentii XI. 37. Propositio damnata.*)

Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam multo majorem judicant salario, quod recipiunt.

Eadem fidelitas obligat omnes, & singulos domesticos, ut nihil evulgent eorum quæ possent illis nocere: eorumque calumniæ, sive controversiæ graviores sunt, quam quæ ab aliis personis indifferentibus dicuntur, ac domestico potius, quam alteri, attribui potest illud Ecclesiastes (*Eccl. c. 10. 11.*:) *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.*

Quæst. 6. Quænam sunt mutua conjugum erga se invicem officia?

Resp. Sanctus Paulus Apostolus scribens ad Ephesios, videtur omnia mutua conjugum officia tradere, cum ait (*ad Ephes. c. 5. v. 22.*): „ Mulieres viris suis subditæ sint, „ sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut „ Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus: „ Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres „ viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, „ sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit „ pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ „ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Ita & „ viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam „ uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam „ carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet eam,

„ ficut & Christus Ecclesiam. Quia sumus membra cor-
„ poris ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter
„ hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & ad-
„ hærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una. Sacra-
„ mentum hoc magnum est: ego autem dico in Chri-
„ sto, & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli unus-
„ quisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor au-
„ tem timeat virum suum ". Idem Apostolus in alio loco eamdem doctrinam paucioribus complectitur, dum ait (*ad Coloss. c. 3. v. 18.*); *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.*

Sanctus autem Joannes Chrysostomus, explicans fidelibus documenta Divi Pauli, sic maritos alloquitur (*in ep. ad Ephes. hom.* 10.): „ Vis tibi obedire uxorem,
„ sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque ejus curam gere
„ sicut Christus Ecclesiæ... Quomodo Christus eam, quæ
„ ipsum adversabatur, oderatque, & despicatui habebat,
„ ac conspuebat, & per lasciviam ei insultabat, magna
„ sua cura, suis subjecit pedibus: non minis, nec con-
„ tumeliis, neque metu, neque ullo alio hujusmodi: ita
„ tu quoque te gere in tuam uxorem; etiamsi eam vide-
„ ris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem,
„ etiamsi contemnentem: poteris multa ejus cura, &
„ providentia, dilectione & amicitia eam tuis pedibus
„ subjicere: nihil est his vinculis magis tyrannicum, &
„ maxime marito, & uxori; nam famulum quidem po-
„ terit quispiam metu alligare; imo vere ne illum qui-
„ dem, fortasse enim resiliet, & abibit. Vitæ autem so-
„ ciam, liberorum matrem, & quæ est causa, & occasio
„ omnis lætitiæ, non oportet metu, & minis ligare, sed
„ dilectione, & affectione. Quænam enim est conjunctio,
„ quando uxor exhorrescit maritum? Quanam autem vo-
„ luptate fruetur ipse maritus cum uxore habitans tan-
„ quam cum ancilla, & non tamquam cum libera "?
Quare idem Sanctus Joannes Chrysostomus admonet maritos his verbis (*Ibidem.*): „ Quando audis timorem,
„ exige timorem, qui convenit liberæ, non tanquam ab
„ ancilla: est enim corpus tuum. Nam si hoc feceris,
„ teipsum probro afficis, tuum corpus afficiens ignominia.

Verum cum conjugum amicitia a mulierum prudentia plurimum dependeat, eas erudire voluit, & instruere sanctus Petrus, ut accuratius scirent, qua ratione sanctam cum maritis societatem fovere debeant, cum ait (1. *Petr. c.* 3. *v.* 1.): „ Similiter & mulieres subditæ sint viris suis,
„ ut si qui non credunt verbo, per mulierem conversatio-
„ nem sine verbo lucrifiant. Considerantes in timore ca-
„ stam conversationem vestram, quarum non sit extrin-
„ secus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti
„ vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis ho-
„ mo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus,
„ qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando &
„ san-

„ sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subjectæ „ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & „ & non pertimentes ullam perturbationem.

Sanctus autem Augustinus egregium mulieribus proponit imitandum exemplum, dum sanctæ Monicæ matris suæ cum in conjugio viveret, vitam ita describit (*l. 9. Conf. c. 9.*): „ Tradita viro, servivit veluti Domino: „ & sategit eum lucrari tibi, Christe, loquens de te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem „ toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum „ marito haberet unquam simultatem: expectabat enim „ misericordiam tuam super eum, ut in te credens ca„ stificaretur. Erat vero ille præterea sicut benevolentia „ præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non re„ sistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo qui„ dem. Jam vero refracto, & quieto, cum opportunum „ videret, rationem facti sui reddebat, si forte illo in„ consideratius commotus fuerat. Denique cum matronæ „ multæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum ve„ stigia etiam dehonestata facie gererent, inter amica „ colloquia illæ arguebant maritorum vitam: hæc ea„ rum linguam, veluti per jocum graviter admonens, „ ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, „ recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancil„ læ factæ essent, deputare debuisse: proinde memores „ conditionis, superbire adversus dominos non oporte„ re. Cumque mirarentur illæ, scientes, quam ferocem „ conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut ali„ quo indicio claruisse, quod Patritius cæciderit uxo„ rem, aut quod a se invicem vel unum diem domesti„ ca lite dissenserint, & causam familiariter quærerent; „ docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. „ Quæ observabant, expertæ gratulabantur: quæ non „ observabant, subjectæ vexabantur". Tum ibidem ejus „ mansuetudinem & patientiam his verbis commendat: *Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi: nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.*

Erga vero socrum suam ita se gerebat, ut quando ea falsis ancillarum rumoribus irritata fuerat, non aliis uteretur remediis, quam patientia, & mansuetudine: talis fuit Monica, quam cæteræ deberent imitari.

Diligere quidem est virorum, inquit sanctus Chrysostomus (*hom. 20. in ep. ad Coloss.*), *illarum vero cedere: si ergo unusquisque quod suum est, afferat, stant omnia firma, & stabilia; ex eo ergo quod diligatur, fit mulier amica, & benevola; ex eo autem quod sit subdita, vir fit mitis, & clemens. Vide autem, quod hoc quoque a natura sic sit comparatum, ut vir quidem diligat, mulier autem obediat. Nam quando is, qui impe-*

rat, diligit eum, qui paret imperio, tunc consistunt omnia. Non tam ab eo, qui paret imperio, quæritur dilectio, quam ab eo, qui imperat, adversus eum, qui paret; ab illo enim est obedientia. Ne ergo, quoniam subjecta est mulier, sit insolens: neque tu, quoniam vir diligit, intumesce. Neque viri amicitia extollat mulierem, neque mulieris subjectio inflet virum. Propterea se ipsam tibi subjicit, ut magis diligatur: propterea te fecit amari, o mulier, ut facile feras, quod sis subjecta, etenim ei, qui amat, esse subjectum, nullam habet difficultatem. Ne timeas amans, habes enim ipsam cedentem.

Nihil aliud profecto magis confert ad mutua conjugum officia, mutuamque fovendam amicitiam, quam ut alter alterius onera portet, & se mutuo compatiantur, secus enim vix, ac ne vix quidem, in pace stare, & amicitiam colere possunt conjuges: nam cum continua frequentatio efficiat, ut alter alterius defectus facile observet, quibus ne quidem perfectissimæ carent personæ; nisi cum mansuetudine, & charitate patienter tolerentur, & opportunum ad eos corrigendos, quantum fieri potest, tempus expectetur, grave conjuges patiuntur periculum, ne dissensionibus, & discordiis sincera violetur charitas, quæ vigere debet inter conjuges. Unde sanctus Gregorius Magnus ait (*Past. par.* 3. *admonit.* 27.): *Admonendi sunt conjuges, ut ea, in quibus sibi aliquando displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent: scriptum namque est:* Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi: *Lex quippe Christi charitas est, qua ille nobis & largiter sua bona contulit, & æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo legem Christi, & ejus mandata imitando complemus, quando & nostra benigne conferimus, & aliorum mala pie sustinemus. Admonendi quoque sunt & conjuges, ut eorum quisque non tam, quæ ab ipso tolerentur, attendat: si enim sua, quæ portantur, considerret, ea quæ ab altero sustinet, levius portat.*

Sanctus autem Apostolus Petrus hortatur maritos, ut infirmitates mulierum suarum cum charitate tolerent, cum ait (1. *Petri c.* 3. *v.* 7.): *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes vestræ.*

Denique conjuges omni modo solidam inire debent pacem, eamque conservare: cujus necessitatem his verbis declarat sanctus Chrysostomus (*c.* 5. *ep. ad Ephes. hom.* 22.): *Si hi sint in concordia, & recte aluntur filii, modestique sunt famuli & ordinem non deserunt, & bonorum odore fruuntur vicini, amicique & cognati: sin autem contra, confunduntur omnia: & quomodo cum duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam; & si rursus illi turbentur, sursum, & deorsum aguntur omnia; ita nunc quoque.*

Sed

Sed quod est magis deplorandum, illa dissensio inter conjuges, radix est, & origo multorum peccatorum, quæ in familia committuntur: ex ea enim sequuntur multa mala, tam in spirituali, quam in temporali, quibus non sine magna difficultate mederi potest.

Ex his concludere facile licet, conjugibus & maritis præsertim incumbere, ne pars altera careat rebus ad honeste vivendum, secundum suam conditionem, & facultates, necessariis, tum in sanitate, tum in morbo; omnique diligentia, & charitate procurare, ne fraudetur auxilio rerum spiritualium, debitaque instructione; quemadmodum diximus loquendo de parentibus respectu filiorum suorum: sed & occasiones omnes peccati, quantum fieri potest, rescindere debent, seque mutuo bono exemplo ad meliora provocare in Christo Jesu.

Quæst. 7. Quæ & quot sunt frequentiora peccata patrum, & matrum familias?

Resp. Hæc peccata diserte enumerantur in Decisionibus Cleri Patavini, sub Eminentissimo olim Cardinali Barbadico Episcopo, cujus memoria in benedictione est, his verbis (*ann.* 1688. *in mens. Sep. in casu prudentiali p.* 120.): *Primo*, desiderantes non habere prolem ad effugiendum onus illam educandi; est enim contra unum ex finibus principalibus matrimonii, unde ait Tertullianus (*Apol. c.* 3.): *Homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem.*

Secundo, in petitione, seu redditione debiti conjugalis, talia exercentes, qualia pudicas aures dedecent Confessariorum præsertim accedentes præpostere; si mulier sit incuba, aut menstruorum tempore, vel ita partui proxima, ut ipse moraliter obfuturus sit carnalis congressus: de quibus peccaminosis actibus tractant Moralistæ.

Tertio, abortus committentes, etsi non data opera, sed culpabili inadvertentia, vel malitia: exempli gratia, dum uxor prægnans sustollit pondera, quibus causatur abortus; vel maritus calce, aut pugnis eam impetit more belluino, juxta illud: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* (*Psalm.* 48.).

Quarto, post partum tenentes parvulos editos in proprio lecto absque ulla cautela, cum periculo suffocationis, & infanticidii; quod crimen utinam frequenter non eveniret; & quamvis sit casus reservatus & in aliis diœcesibus sit adjecta excommunicatio contra patres, & matres detinentes recenter natos in lecto, parum vel timetur, vel obeditur.

Contra hanc gravem culpam variæ exclamant Synodi, & Alexander Sperellus, Episcopus Eugubinus, sic decernit (*Synodo Eugubina anno* 1645. *tit.* 10. *c.* 4.): *Quia non raro accidisse compertum est, tenera infantium corpuscula, si in lecto a parentibus seu aliis detineantur, per somnum misere opprimi & suffocari; sub pena ex-*

communicationis interdicimus parentibus, ne quis in cubili pueros secum habeat, qui saltem suæ ætatis annum non transegerint.

Cardinalis Carolus Rossetus, in Synodo Faventina (*anno 1647. tit. 10. c. 1. num. 25.*) statuit, *Ad tollendum parvulorum nefariæ suffocationis periculum, moneat Sacerdos nutrices, ne filios suos, aut alienos, anno minores sub pœna excommunicationis, aliisque arbitrio nostro in lecto secum retineant.*

Quinto, peccant matres in lactando infantes, plures enim illarum habent ubera ita lacte abundantia, ut papilla in ore infantis, & sugentis immissa, sinentes se a somno rapi, puer ex nimio lacte suffocetur: cui ex compassione dicendum foret: *Quare mater tua leæna?* (*Ezech.* 19.)?

Sexto, sed plurimæ matres nobiles graviter in obligatione deficiunt, non lactantes proprios filios, sed illos nutricibus lactandos tradentes: quæ quidem nutrices sæpe sæpius malis moribus imbutæ, & malo lacte, vel ex occulta earum conceptione, vel occultiori morbo gallico, aut alia sanguinis impuritate, infantulos cibantes, eosdem ita male affectos reddunt tum in animo, tum in corpore, ut vix adhibeatur remedium; Et ideo hæ matres non sunt a peccato immunes; est enim contra naturale præceptum fœtas matres statim se lacte privare, ut incontinentiæ operam navent, cum natura easdem genitrices lacte ditet, & donet, ut fœtus suos nutriant. Neque eas tuetur a culpa universalis consuetudo: quia damnatur in jure tanquam prava, per textum in cap. *ad ejus*, dist. 5. ubi sic legitur: *Ad ejus vero concubitum vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur. Prava autem consuetudo in conjugatorum moribus irrepsit, ut filios suos quos gignunt nutrire mulieres contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant.* Quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Certe videntur crudeliores feris, quæ tanto amore nutriunt prolem suam, de quibus scriptum est (*Jerem. c. 3. v. 3.*): *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.*

Non ita fecit Sara uxor Abrahæ, quamvis ditissima, quæ ipsamet voluit lactare Isaacum, quem pepererat, Genesis 21. v. 7. Non ita Anna mater Samuelis, quem & ipsa lactavit, 1. Reg. c. 1. Non ita mater Machabæorum, quæ juniori filio martyrio proximo dixit (2. *Mach. c.* 7. 18.): *Te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi.* Non ita mater Honorii Imperatoris, a qua fuit lacte materno alitus: Claudianus in Panegyrico 4. Non ita Regina Blancha, quæ sanctum Ludovicum filium suum aliis nutricibus nunquam committere voluit. Audiant hæ matres delicatæ Sanctum Ambrosium (*lib. 3. de Abrahamo cap. 7.*): *Provocantur fœminæ meminisse di-*

se dignitatis suæ, & lactare filios suos: hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris.

Quapropter frivola est excusatio matrum nobilium, se scilicet subtrahere a lactanda prole, ne dedecus incurrant; siquidem nulli mulieri, etsi nobili, aut heroinæ, potest esse dedecori lactare filium, quem novem menses in penitissimis uteri recessibus aluit, & quem ex propriis visceribus eduxit; imo naturam offendit mater, recusans hominem viventem, & matris officia implorantem, suo lacte nutrire, quem in utero latentem suo sanguine aluit.

Oh! quanta ambitione hunc abusum prosequuntur etiam fœminæ ordinariæ conditionis; quarum mariti, ne eas contristentur, vel cum illi venerei abundantius sint, quamvis facultatibus careant, imo neque pecuniam ad nutricis stipem dandam habeant, filios committunt alienæ nutrici, a qua modicum lac exhibetur, quia modicum exigitur salarium. Exaltent Parochi quasi tuba vocem suam in congregatione patrum familias.

Septimo, matres peccant, dum infantulos crescentes portant ad Ecclesiam, sacrificii tempore, eosque constrepere sinunt vel Rosarium jactantes, vel vocem attollentes, vel si pedibus sint assueti, per Ecclesiam decurrentes, cum litantis Sacerdotis, & fidelium adstantium summo fastidio, quasi essent catelli irrationales; ut videtur innuere Job illis verbis (*Job.* 21. 11.): *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.* Ac culpa hæc est etiam Parochorum, qui zelo carent: satis illis vivere: si reprehenderent, si objurgarent has matres, si eas docerent vel puerulos domi tenere, vel ab initio eisdem innuere, in templo, ubi Deus colitur, ubi Christus immolatur, ubi Angeli stant genuflexi, cum silentio, cum timore & tremore immorandum; utique non esset abusus iste ubique communis.

Octavo, peccant genitores filios grandiores factos nimio amore prosequentes, & eosdem incipientes habere velle, aut nolle, in omnibus, & per omnia contentantes, ac quasi *Idolothyta* adorantes. Qui ex hoc tenerrimo amore; vel Deus punit genitores morte puerorum, ne plus amentur, quam ipse Deus, ut de Vitulo aureo fecit Moyses Exodi 32. Vel si filioli vivunt, & adolescunt, inobedientissimi evadunt, & in parentes insurgunt. *Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas: & in novissimo obstupescent dentes tui* (*Eccli.* 30. 9.). Audivi prudentissimam quandam matrem ita dicentem; Nunquam osculata sum filios meos, postquam eos ablactavi, ut eos cum timore educarem.

Nono, peccant genitores, omittentes imbuere mentes filiorum reverentia, & timore Majestatis Divinæ; neque eis de die in diem insinuantes, Deum super omnia esse timendum, Divina præcepta esse omnino servanda, potius

potius moriendum, quam peccandum. Esse æternam vitam post mortalem hanc, & quidem duo loca æterna, paradisum pro bonis, flammas tartareas pro malis Christianis. Ecclesias, Sacramenta, Sacerdotes summa veneratione colendos. Divinam voluntatem, e cujus providentia omnia pendent, semper prompte amplexandam, tam in prosperis, quam in adversis; hæc enim si frequenter parvuli trimi, quadrimi, & in ulteriori ætate a parentibus audirent, & tamquam semina Christianæ pietatis in cordibus suis tenellis reciperent, fructum timoris Dei redderent grandiores facti; ut scriptum legimus de Tobia, qui puerulum suum *ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato* (*Tob.* 1. 10.).

Decimo, delinquunt parentes non explicantes pueris suis mysteria fidei; neque eos ad Ecclesiam soliciti mittentes, aut potius associantes, ut a Parocho aliisque eruditis magistris discant, Deum unum in essentia, trinum esse in personis: secundam sanctissimæ Trinitatis personam carnem sumpsisse, virtute Spiritus Sancti, ex Maria Virgine; & in eadem carne Christum Dominum, Deum & hominem, nos redemisse, mediante sua sanctissima passione, morte, & resurrectione; ceteros articulos fidei non declarantes, aliasve partes doctrinæ christianæ, ut illam ediscant; majorem curam animalium, & stabulorum, quam animarum gnatorum habentes; ita ut de plurimis familiis verificetur, quod de domo Herodis pronunciavit Augustus Imperator, profuisse magis nasci sues, quam filios. Macrobius Saturninus lib. 2. c. 4. Et quod ad populum inculcabat aureum os S. Joannis Chrysostomi (*hom.* 90. *in Matth.*): *Majorem asinorum & equorum, quam filiorum curam habemus*.

Undecimo, peccant parentes approbantes vel furta filiorum, fructus, bladas, ova, forsan & alienas gallinas, vel oves domum deferentium, vel eorumdem filiorum ferocitatem, & manus violentas; adeo ut si audierint ab ipsis aliquem saxis, vel pugnis percussum, laudent opus, & subdant; ne permittas ab aliquo te conculcari; in rixa esto primus in percutiendo: sic ego faciebam, cum tuæ essem ætatis. Non ita faciebat Tobias, qui audita voce hœdi furto forsan subrepti, ait (*Tob. c.* 21. *v.* 11.): *Reddite hœdum dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini*. Ephes. c. 6. v. 4.

Duodecimo, rei sunt genitores pueris suis maledicentes, nam *Maledictio matris eradicat fundamenta domus* (*Eccl. c.* 3. *v.* 15.). Filiolo sitienti cum mater tandem dixisset, Accipe, bibe Diabolum; statim energumenus evasit filius, quem nullus liberare potuit, nisi Sanctus Zenobius Archiepiscopus Florentinus, ut narrat in ejus vita Surius. Sancta Catharina Senensis dicebat matri suæ: Ne quæso mater maledicas mihi, sed potius verbera me: in ejus vita Paulus Frigerius lib. 1. c. 4. n. 3.

n. 3. Multa lugubria exempla maledicentium genitorum videantur apud Menochium in Storeis par. 1. c. 53. & part. 4. c. 86.

Decimo tertio, gravis culpa eſt parentum, permittentium pueros diverſi ſexus, quamvis fratres, & ſorores, in eodem lectulo dormire. Ait Ariſtotiles, filios in quarto, vel quinto ætatis anno ſemina facere, l. 4. c. 19. Narbona in ætatis anno 5. q. 1. Nos afferere poſſumus, in hac ætate plures fieri capaces malitiæ. Igitur omnino ſeparandi. Salomon, cum eſſet annorum duodecim, genuit Roboam. S. Hieronymus in Epiſt. ad Vitalem.

Decimo quarto, in culpa pariter gravi ſint pater & mater, qui in proprio lecto dormire faciunt filiolos grandiuſculos factos; multi enim, ex ſolutione debiti matrimonialis eorumdem parentum, diſcunt actiones turpes, & carnales. Curioſitas, ſecundum Sanctum Thomam, eſt prima aggreſſio contra caſtitatem. Pueri audiunt, obſervant, ediſcunt. Plures naſcuntur cum dentibus. Plin. l. 7. c. 16. Et plurimi ab utero matris portant quandam ſpecialem malitiam pro rebus venereis, juxta illud, *Erraverunt ab utero*. Pſ. 75. Puer decennis, dormiens cum ſua nutrice, eam fecit prægnantem, & ſeipſum patrem. Cælius Rhodigin. l. 14. c. 8.

Decimo quinto, peccant parentes, permittentes vel ſe audiri a puerulis pronunciantes verba obſcœna, res turpes, maledicta, blaſphemias; vel ſe videri quodcumque facinus perpetrantes; nam diſcunt, etſi tenelli, eadem dicere, vel facere. *Læderur quaſi vineæ in primo flore botrus ejus*. Job. 15. v. 33.

Decimo ſexto, delinquunt parentes, qui permittunt, ut filiæ adoleſcentes morentur in januis, vel in feneſtris, ut viros aſpiciant, ſeu a viris aſpiciantur. Peſſimum abuſum, haud defendendum motivo maritum quærendi. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Eccli. 31. Nam viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum agnoſcetur, & in palpebris illius*. Eccli. 26. Obligatio eſt genitorum adoleſcentulas ſuas ita cuſtodire, ut ab hominibus non aſpiciantur. Oh modeſtæ ſunt, verecundæ ſunt, innocentes ſunt; ideo cuſtodiantur. *Quid faciemus ſorori noſtræ? ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula*. Cant. 8.

Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, deambulans per civitatem, vidit chorum Angelorum ſuper domunculam, in qua vidua mulier cum tribus filiabus ita pauperibus inhabitabat, ut ad victum quærendum laborarent die noctuque: ſubvenit eiſdem largis eleemoſynis pius paſtor; ipſæque filiæ, depoſito labore, ad feneſtras frequenter ſtabant, ut facilius ſibi de marito providerent. Cum iterum eadem via tranſiſſet ſanctus Archiepiſcopus, non Angelos, ſed dæmones ſuper prædicta domuncula vidit ſaltantes: ſtupefactus, ſe informat de moribus puel-

puellarum; quas, ut intellexit otiosas, & monuit, & subtractione eleemosynæ amplissimæ ab illo defectu fecit emendatas. Menoch. in floreis. Cent. 2. c. 72.

Decimo septimo, major est iniquitas illarum matrum, quæ filiabus suis pectus, humeros, & brachia denudant, crines exornant, ut viris placeant, ut aspiciantur, a pluribus sibi deserviatur, & tamquam Idola venerentur. Auctrices enim illarum omnium culparum sunt, quas committunt corde, & oculis dilectores filiarum, de quibus ait Dominus: *Contrivi oculos eorum fornicantes post Idola sua*. Ezech. c. 6. v. 9.

Decimo octavo: at maxima est culpa earumdem matrum ducentium easdem filias ad saltationes, & choreas; & permittentes, ut eædem solæ cum solo adolescente loquantur, tangantur, & conversentur. Contra hunc abusum exclamat mellifluus Sanctus, amarissimo dolore plenus, his verbis; *Intrat solus ad solam; væ væ lupus ad oviculam*. Et quod genitores mortaliter peccent, talem libertatem concedentes filiabus, docent Navar. in Summa c. 14. n. 18. & alii.

Unde etiam Dominicus Maria Cardinalis Cursius, in præclara admonitione, quam Synodo Ariminensi attexit (*anno* 1696. *in Addition. f.* 149.), sic loquitur: *Sono rei* d'infinite colpe, e saranno puniti con altrettanta pena quei Padri, e quelle Madri, che permettono, o tollerano, e forse acconsentono, che le loro figliuole e figliuoli amoreggino, col pretesto diabolico della maggiore stima, fortuna, o utile delle medesime; non volendosi accorgere, che sono causa, autori, e partecipi di tutti li peccati, che si commettono con li pensieri, desiderj, o d'altro che ne possa succedere, senza che mai simili genitori possano sperare, non che darsi ad intendere, che essi saranno scusati, nè per i detti motivi, nè per altro, di aver potuto assicurarsi dell'apparente onestà de'loro figliuoli, la quale come cera si distrugge facilmente vicino alla fiamma; e la miseria umana porta, che i giovani, e le giovani, agguisa degli animali, in nessun altro tempo incappano nella rete più agevolmente, che quando son trasportati dall'amore, perchè son ciechi.

Decimo nono, peccant genitores, qui filios suos adultos nimia severitate tractant, eosdem injuriosis & contumeliosis verbis afficientes, sicque eosdem ad iracundiam, & ad inobedientiam, atque contemptum provocantes, quos deberent ex paterno officio suaviter, & cum charitate admonere, juxta præceptum Apostoli: (*ad Ephes. c. 6. v. 4.*): *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini*.

Vigesimo, crimen lethale incurrunt Patresfamilias, qui ut filios suos divites faciant, & locupletes post se relinquant, incidunt in radicem omnium malorum, id

eft, in avaritiam, contractus illicitos, & ufurarios frequentantes, innumeras fraudes committentes, legata pia, libellos, mercedes operariorum non folventes, quafcumque eleemofynas a domo fua eliminantes; unde fequitur non folum perditio animæ genitorum, fed totalis ruina, atque defolatio pofteritatis, excidium filiorum hæreditatifque confifcatio; cujus veritatis non funt necessaria teftimonia, fiquidem quotidiana experientia illam irrefragabiliter confirmat; juxta adagium, Male parta, male dilabuntur. Ait enim Scriptura: *Avaro nihil eft fcelestius*. Eccl. 10. v. 9.

Vigefimo-primo, peccant patres, feu parentes, clericalem vitam fuadentes filio, cui ad illam nulla eft propenfio, nulla vocatio cæleftis, nullus amor caftitatis; & quamvis fcriptum fit (*ad Hebr. c. 5. v. 4.*): *Nec quifquam fumit fibi honorem, fed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, fatagunt, ut filii obtineant vel canonicatum, vel beneficia, etiam cum cura animarum, dummodo fint amplius ditata proventibus; non prævidentes excidium falutis æternæ, ob innumera peccata ejufdem filii canonici, feu beneficiati, non incedentis in habitu, & tonfura, non recitantis Horas canonicas, non viventis cum caftitate, non exercentis proprium officium, abutentis reditibus Ecclefiafticis, infeliciter viventis, & infelicius morientis: quafi Poema quoddam effet illud feriofum Redemptoris monitum (*Matth. c. 16. 26.*): *Quid prodeft homini, fi univerfum mundum lucretur, animæ vero fuæ detrimentum patiatur?*

Vigefimo-fecundo, pejus agunt genitores, quando filios, vel corpore, vel ingenio non perfectos, eofque reluctantes, in regulare inftitutum intrudunt, tribus votis illos onerantes, quorum obfervantiam nunquam præftabunt folo temporalis felicitatis motivo, qua Regulares otiofi, abfque labore, & uti dicunt, ad fonum campanulæ viventes potiuntur. Hinc regularis, & monaftici habitus detrimenta, dum plurimi abfque vocatione, & reluctantes profeffioni inobedientes, incontinentes, fcandalofi, & apoftatæ a religione cernuntur. Utinam confiderarent eorum genitores magnam hanc Dei offenfam, qui juffit in Levitico nullam fibi victimam offerri, cui effet aliqua macula (*Levit. c. 1. 3.*): *Si holocauftum fuerit ejus oblatio, at de armento, mafculum immaculatum offeret.*

Vigefimo-tertio, peffime operantur patres & matres, a quibus filiæ, contra earum voluntatem, coguntur ingredi monafteria, & moniales fieri, adeo ut per totam vitam fint fimiles filiæ Jephte, quæ *cum fociis, ac fodalibus fuis flebat virginitatem fuam in montibus*. Meminiffe eos opporteret excommunicationis fulminatæ a Concilio Tridentino feff. 25. de regular. cap. 18. contra illos, qui *quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam,*

ad

ad ingrediendum monasterium. Vide supra Tom. 6. Tr. 5. c. 1. q. 8.

Vigesimo-quarto tandem, peccant genitores, qui vel nimis tardant ex avaritia in maritandis filiabus, vel eas nuptui tradunt sine earum assensu, volentes, ut nubant, cui neque genium, neque amorem habent; & prohibentes, ne ducant in maritum, quem omnino cupiunt. Quamvis enim filiæ optime facerent in nuptiis pendere a gubernio, & providentia patris, nihilominus pater jus non habet violandi arbitrium filiarum in hac materia. Cap. *de Nuptiis* 31. q.2. Sanctus Thomas 2.2. q. 10. 4.art. 5.

Occasione peccatorum, quæ enumerantur supra n. 13. & 14. non inutile erit hic inferere ea, quæ habentur in Edicto promulgato in præclara Synodo Farfensi, his verbis: *Ad tollendam incestuum occasionem prohibemus, sub pœna excommunicationis, & aliis gravibus pœnis temporalibus arbitrio nostro, ne ullus masculus post annum ætatis decimum tertium, & ulla fœmina post annum ætatis undecimum, audeat jacere in eodem lecto cum aliquo consanguineo carnali (intra quartum gradum) aut spirituali, ut supra, diversi sexus, & qui sit major annis decem: neque admittetur excusatio, quod nullus alius suppetat lectus, ut separati ad invicem dormire possint; adjungendo etiam, quod gravibus pœnis temporalibus, arbitrio nostro, subjacebunt patres, aut matres, qui filios diversi sexus in eodem lecto dormire permittent post septennium, quas pœnas etiam subibunt, quicumque alii loco patris aut matris puerorum curam gerunt.*

Edictum integrum in vulgari lingua exaratum hic attexitur.



EDIT-

EDITTO

Sopra gl' incesti, concubinarj, e Donne disoneste, da pubblicarsi tre volte l' anno, cioè il giorno della Circoncisione del Signore, la 2. Domenica di Maggio, e la 2. di Settembre.

Carlo del Titolo di San Lorenzo in Lucina, della S. R. C. Prete Cardinale Barberino, Arciprete della Sacrosanta Basilica di S. Pietro, e degl' insigni Monasterj di Santa Maria di Farfa, e di S. Salvator maggiore, dell' Ordine di S. Benedetto, insieme uniti, Abate perpetuo Commendatario, e delle Diocesi de' medesimi Monasterj Ordinario.

PEr mettere qualche freno alla rilassazione della carne, che pur troppo licenziosa, con vietati concubiti si rende abominevole nel Cristianesimo, e provoca a rigoroso sdegno la Divina Giustizia; sotto pena di scomunica da incorrersi ipso facto (oltre le pene temporali imposte da' sacri Can. ed altre Constituzioni Ecclesiastiche) proibiamo a qualsivoglia persona, tanto uomo come donna di questa nostra Diocesi, di aver copula carnale, o fare atti prossimi in ordine a tal delitto, con alcun parente sino al quarto grado inclusive, ovver con compari, o comare, sì di battesimo, come di cresima. E di più dichiariamo, che s' intenda riservata a Noi la sopraddetta scomunica contro li parenti nel primo, e secondo grado, come anche contro li detti compari, e comare, che averanno copula come sopra.

In oltre, per levar l' occasione di detti incesti, sotto pena di scomunica, e d' altre gravi pene temporali a nostro arbitrio, proibiamo, che nessun maschio, finiti li tredeci anni d' età, e niuna femmina, passati li undici, ardisca giacere nel medesimo letto, nel quale stia a giacere un lor parente carnale, o spirituale come sopra, di sesso differente, e maggiore di anni dieci; nè gli si ammetterà la scusa, che non abbino letto per dormir separati, avvertendo di più, che a gravi pene temporali a nostro arbitrio soggiaceranno quei Padri, e Madri, che permetteranno di dormire insieme li figliuoli di differente sesso sopra sette anni: come anche qualunque altro, che in luogo di padre, e madre averà cura delli medesimi figliuoli.

Similmente proibiamo, sotto pena di scomunica da incorrersi ipso facto, alli suddetti padri, e madri, come anco a tutti gli altri conjugi, che non ardiscano di tenere insieme con loro a giacere nel medesimo letto, dove essi unitamente dormono, li loro figliuoli, o figliuole, come qualunque altro putto, o putta, che siano maggiori di sette anni.

Alli concubinarj, e loro concubine ordiniamo, che sotto pena di scomunica, dell'esilio dalle nostre Diocesi, ed altre pene imposte dalle leggi, e nostre Costituzioni Sinodali, venghino alla separazione tra di loro, nè tornino più a tal vita peccaminosa, ed infame.

Finalmente per le viscere di nostro Signore Gesucristo, e della Beatissima Vergine, esortiamo tutte le Donne disoneste a lasciare il peccato, ed all'esempio di altre molte ritornare all'onestà della vita Cristiana; altrimente, nè vive si ammettino alla santa Comunione, nè morte all'Ecclesiastica sepoltura.

Ed acciocchè niuno delli suddetti possa allegare ignoranza del presente Editto, vogliamo, che essendo questo pubblicamente notificato, astringa tutti di qualsivoglia grado, o sesso. Avvertendosi, che contro li trasgressori si procederà anco per viam inquisitionis, ed in ogni altro modo migliore; Dato nella nostra Chiesa Abaziale di Santa Maria di Farfa, nel Sinodo, questo dì sesto di Giugno 1685. Idem Edictum publicatum jam fuerat in Synodo Sublacensi ejusdem Eminentissimi Cardinalis anno 1674.

Eloquentissimus Episcopus Amerinus (*Synodo Amerina anno* 1594. *cap.* 110. *&* 111.), Antonius Maria Gratianus, monitiones pro patribus matribusque familias Synodo attexuit, quas hic adscribere congruum putavi, ad accuratam expositionem quarti Decalogi præcepti: *Non patitur*, inquit, *summum illud studium*, charitasque, qua populum curæ ac fidei nostræ traditum prosequimur, ut vos, Patresfamilias, sine admonitione & cohortatione aliqua hoc loco prætermittamus, quando in vestra diligentia, fide, disciplina, sita prope sunt omnia. Nam ex domestica vestra institutione & Clerici ipsi prodeunt, & noster labor, quem optamus fructum, ad populum in Christianæ pietatis studiis habendum, afferet; si vos & quæ sint vestræ partes intellexeritis, & ea qua debitis cura studioque implere contendetis.

1. Ac primum nolite existimare, vestræ domus administratæ rationes vos aliquando Deo non esse reddituros, aut eum pœnas a vobis neglectæ liberorum curæ, & familiæ indulgenter nimis & incuriose ac dissolute habitæ, non expetiturum. Cujus rei in divinis litteris salutare ad cavendum exemplum capite a veteri illo Heli, qui quamquam sæpe corriperet filios suos licentius viventes; tamen quia non qua oportuit severitate procaces eorum mores coercuit, eam a Domino pęnam tulit, ut fuso fugatoque magna cum cæde illius exercitu, amissis in acie filiis, & hostes arca Dei potirentur, & ipse sua ex sede, subita morte correptus, concideret, & prægnans nurus, edito immaturo partu, interiret, regnumque ac sacerdotium protinus a posteritate ejus auferretur.

2. Liberos igitur vestros, a prima statim ætate, Deum vereri condocefacite, sanctoque illius metu teneros adhuc

huc animos informate atque imbuite. Tum adolescentem cum ipsa ætate religionem excolite, & christianæ pietatis præceptis instruite. Ad ludum inde deducti, haud minor vobis cura sit, quantum in moribus, quam quantum in litteris proficiant.

3. Nec mores putate, benigne ac prudenter salutare, in tempore caput aperire, majores natu revereri, atque alia communis usus officia scite eleganterque obire, quanquam ne hæc quidem spernenda sint; sed pietatem colere, fidem servare, divinis jussis parere, pudorem, modestiam, humanitatem, charitatem, beneficentiam, & cæteras christiano homine dignas artes amplecti: his constare mores credite.

4. Neque enim liberi procreantur suscipiunturque, & tantis parentum laboribus aluntur atque educantur, ad id modo, ut inde ab iis stirps nomenque familiæ propagetur, honoribus, divitiis augeatur: humana hæc sunt, & fluxa infirmaque, & marini æstus instar assidue fluunt refluuntque: sed quibus Deus quandam sui ipsius imaginem ingeneravit, quos culpa prolapsos, & ab se descriscentes, & ex eo sempiternis damnatos cruciatibus, suo ipse sanguine, suis suppliciis, sua morte liberavit: ii salvi beatique ut sint, cœlestium civium numerum augeant: nec terrenas has breves & caducas, sed infinitas in cælo atque immortales opes adipiscantur, ad easque, monstratis ab se itineribus, perveniant.

5. Hunc vestrorum in gignendis educandisque liberis, laborum, curarum, ac sollicitudinum fructum, hunc finem, non fucatum & falsum, sed verum certumque propositum habete, atque eos ita instituite, ut cœlestibus hisce bonis potiri fruique possint. Nam opes hæ nostræ, & morte finiuntur, & animus iis nunquam impletur.

6. Verum qui copiosi ac divites estis, & domi rebus omnibus abundatis, acceptum id Divinæ majestati & benignitati referte, & ex affluentia vestra, alienæ egestati subvenite potius, quam canibus equisque alendis, atque aliis supervacuis sumptibus prodigatis. Denique sancti illius Vatis consilium amplectimini: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*.

7. At contra quibus angusta domi res est, ita filios instituite, ut inde vel labore justo, ac virtute acquirant, quod eorum vitæ atque cultui satis sit: vel ipsam paupertatem magno & christiano animo ferant, eamque nec ipsi in malis ducant, & ab aliis amplissimis digni copiis judicentur.

8. Nec liberorum solum, sed ministrorum quoque ac famulorum, tam marium, quam fœminarum curam gerite; ac date operam, ne quid vos fugiat, quod ab illis, seu domi, seu foris secus quam vestræ disciplinæ ratio fert, committatur.

Qui commiserint, eos pro modo culpæ castigate; flagi-

flagitiosos, blasphemos, fures, irreligiosos, & sacram Confessionem subire statis temporibus renuentes, nullo modo toleretis.

9. Tam filiorum, quam famulorum cubicula, lectosque magna ratione dividite: & maxime a mulieribus ita separate, ut aditus omnes periculis praecludatis. Interdum ex nec opinato singulorum conclavia intrate, clausa recludite, arculas quoque excutite; & si quid quod officere institutae disciplinae vestrae possit, deprehenderitis, auferte. Comoedias, librosque alios lascivis amoribus, amorumque artibus plenos, atque amatoria item carmina, quae magnopere molles adolescentium animos subruunt, & saepe bonas quoque mentes labefactant, tollite.

10. Advertite diligenter, quas ventitare domum, & cum mulieribus vestris familiarius versari sinatis; item foris quibuscum filii amicitias misceant. Desidem atque otiosum neminem sinite: sed suo quemque negotio detinete. Mulieres non vagari solum per urbem non necessaria de causa vetate, sed etiam aditu domus fenestrisque prohibete: intra parietes rebus suis intentas continete. Item fucis, pigmentisque & aliis naturalis formae, & veri castique pudoris dehonestamentis interdicite: inanem ac nimium cultus ac vestium sumptum, tam in foeminis, quam in maribus compescite; & quemque pro sua aetate, ordine, sexu, modesto, decentique, atque etiam honorifico, dum ne sumptuoso ac vano, vestitu contentum esse jubete. Quam si privatim suae quisque domui legem indixerit, non erit, cur publice sumptuariae leges desiderentur, ac desinent quotidianae seniorum querimoniae, exhauriri domos vestium luxuria indignantium.

11. Qui famulos ancillasque conductas habetis, quam iis operae mercedem debetis, repraesentate potius, quam contra eorum commodum differatis. Victum quidem, qualis frugi domum decet, sed tamen abunde praebete: Contumeliis conviciisque, maxime in filios, temperate: Pauli Apostoli memores, monentis patres, ne filios ad iracundiam provocent.

12. Si quis forte aegrotet e vestris, huic ne medicus, neve alia pellendo morbo desint, curate, visitate, ac si gravius conflictentur, comi benignoque alloquio confirmate. Ante omnia, sacra Confessione & Communione procurari praecipite.

13. Paci concordiaeque studete, ac statim orientibus dissidiis, imperio atque authoritate occurrite: & quam a Christianae pietatis institutis abhorreat persequi injurias, aut odium in quemquam habere, saepe apud vestros differite.

14. Maxime autem omnium pietati studete: saepe per annum festis diebus, praesertim celebrioribus, sacram toti familiae Confessionem & Communionem indicite: cumque ea una Ecclesiam adite, una sanctissimam Eucha-

charistiam sumite, una pias precationes obite, una vos domum recipite, una cibum capite. Quæ res non parum religionem omnium in Deum, & mutuam inter ipsos charitatem commovebit.

15. Filios, cum maturum ad id tempus erit, chrismate confirmari curate; item ut viam quamdam ac rationem confitendi peccata condiscant, idque frequenter facere assuescant, eos quotidie, si fieri potest festis utique diebus, Divinæ rei interesse jubete, ipsosque festos dies Divinis maxime laudibus piisque officiis, non per ludum ac lasciviam agere.

16. Delatum aliquo Sanctissimum Sacramentum comitari accenso cum cereo item jubete; atque ejus rei causa comparatos cereos domi habete. Jejunia ut sancte colantur, videte.

17. At vero cavete, ne filias vestras invitas in Monasteria compellatis, & Moniales fieri cogatis; gravi enim vos crimine obstringetis. Item filios cupientes in alicujus sacræ familiæ disciplinam se se dedere, & Religionem ingredi, ne deterreatis retrahatisque.

18. Pias Ecclesiæ consuetudines, ut non solum non negligantur apud vos, sed etiam sancte ac religiose serventur, curate. Quo tempore sacra aqua domus & singula conclavia aspergi a Sacerdote consueverunt, eam lustrationem religiose suscipite. Morem cibos quosdam certis precationibus ab eodem Sacerdote benedicendi, ne omittite; alunt enim hæ consuetudines, augentque apud bonos studia pietatis; aniles vero superstitiones, quæ maxime mulierum animos subeunt, abolete penitus, atque abjicite; & in omnibus rebus ad Deum confugite, & confugere vestros jubete.

19. Quotidie, tam mane, quam vesperi filios piis precibus sibi domuique propitiare Deum docete: ut & mane e lecto surgentes, & vesperi cubitum se conferentes, ante sacram cubicularem imaginem positis genibus Deum adorare, sanctoque ejus numini se, vitam, domumque commendare condiscant; atque hunc morem per omnem inde vitam teneant, quo pariter diem & religiose inchoare, & pie concludere videantur.

20. Nullum domi vestræ cubiculum sine sacra aliqua imagine esse sinite: adjicite aquæ benedictæ vasculum, consuetudinemque inducite, ut quisque quoties intrat, quoties exit, illius se sacratæ aquæ rore leviter aspergat.

21. Nihil magnopere incipite, aut incipere vestros instruite, quin vos prius sacro signo crucis veluti præmuniatis, ac si res gravior sit, etiam pia aliqua prece adjutorem ejus Deum advocetis. Si fieri potest, communem aliquem orandi locum domi vestræ habete, in eumque stato tempore cum tota familia convenite.

22. Ad capiendum cibum discumbere neminem sinite, antequam vos ipsi, aut alius jussu vestro, solemni carmine mensæ benedixerit; nec inde exurgere atque abi-

re quemquam, nisi post mensam sublatam, & gratias de more Deo actas.

23. Post cœnam, ne illud tempus inutiliter teratis, pium aliquem librum, & maxime Sanctorum vitas legi jubete; atque ex eorum moribus ac rebus gestis, exempla vobis ad imitandum seligite. Dormitum ut uno omnes tempore se conferant, curate, idque religiose ac per silentium, & sine ullo prorsus strepitu fiat.

24. Quæ omnia una ratio est familiæ vestræ injungendi, persuadendique, ut ita præstent, si vos præstiteritis, si institutorum exemplum omnibus eritis; si quantum authoritate excellitis, tantum vestri mores, innocentia, diligentiaque nitebunt; si quam disciplinæ legem indicitis aliis, eam ante alios a vobis ipsis exigetis.

25. Qui sancti conjugii fœdere juncti, illius vi, duo in carne una effecti estis, ita mutuæ benevolentiæ & charitatis vinculis vos assidue costringite, sicuti perpetuo atque insolubili vitæ ac fidei nexu continemini. *Viri*, inquit magnus ille Princeps Apostolorum, *diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam: qui enim suam diligit uxorem, se ipsum diligit*. Cogitate, quo vos esse animo in uxores vestras oporteat, quorum amor cum Jesu Christi in Ecclesiam amore comparetur. Benigne, jucunde, conjuncte cum iis vivite: injuria, acerbitas, tristitia omnis procul conjugali vestra societate & consortio sit. Quam in iis fidem expetitis, ejus ipsi exemplum sitis. At vos uxores colite viros vestros, iis parete: amore, obsequio, fide eos demereri studete, puras, castas, mundas, hilares vos iis exhibete: non fucatas, non sumptuosas, non elatas, non difficiles fastidiosasque: familiæ curam gerite, rei vestræ intentæ, alienæ non curiosæ, Deum timentes, &c.

Ordinationes circa observantiam divini cultus in Ecclesiis, & venerationem Festivitatum: necnon & contra Simoniacos, & Blasphematores, Sodomitas, & Concubinarios.

Pius Episcopus servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. (*)

CUm primum Apostolatum officium divina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam & cogitationem nostram in Dominici gregis fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christi fideles, Deo juvante, ita dirigere statuimus, ut a vitiis & peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant.

§. 1.

(*) *Edita an. D. 1566.*

§. 1. Cum autem ad omnia, quæ divinam majeſtatem aliquo modo poſſent offendere, amovenda, mentis noſtræ aciem intenderimus, ea primum & ſine mora emendare decrevimus, quæ Deo præter cætera diſplicere, & iram ejus provocare cum divinæ docent Scripturæ, tum graviſſima exempla declarant, nempe divini cultus neglectum, ſimoniæ labem, blaſphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi & nationes, bellorum, famis, & peſtilentiæ calamitatibus, juſta Dei ultione ſæpe plectuntur. Etſi autem contra eos, qui tam gravia crimina admiſerint, multæ a prædeceſſoribus noſtris Conſtitutiones editæ fuerunt; tamen quia parum eſt leges edere, niſi ſint, qui eas debitis temporibus exequantur.

§. 2. Idcirco ne qui forſan ex tolerantia ſperare impunitatem audeant, ſcientes pleroſque pœnarum gravitate magis quam Dei timore arceri ſolere a voluntate peccandi, omnes & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apoſtolica auctoritate innovamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus; admonemuſque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non ſolum ſubituros eas pœnas quæ ſacris ſunt Canonibus conſtitutæ, ſed eas etiam quas leges civiles comminantur, & noſtri quoque arbitrii diſcretio pro perſonarum qualitate conſtituet.

§. 3. Mandantes Civitatum & Locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem ſub pœna Suſpenſionis a divinis, his vero ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, ut quos debitum Deo cultum in Eccleſiis non tribuere, aliiſque nefandis criminibus pollutos eſſe compererint, comprehendi curent, pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipſis Judicibus, quod ſi poſt hanc noſtram Conſtitutionem in caſtigandis hujuſmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei Omnipotentis judicio obnoxii erunt, deinde noſtram quoque incurrent indignationem. Ut autem pœnarum certitudo cunctis facilius innoteſcat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra hujuſmodi criminum reos a jure ſtatutis in ſuo robore manentibus.

§. 4. Ut igitur Deo optimo maximo, glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii decimi prædeceſſoris noſtri conſtitutionem innovantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio (*) obſervari volentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut ad Eccleſias ſit humilis & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis ſanctiſ-

 ſimum

(*) Ad hoc vide Conc. Trid. ſeſſ. 22. primum decretum poſt Canones.

simum Sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent: nullus in dictis Ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, cessent vana, fœda & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes judiciorum, & alia quæcumque quæ divinum Officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, sive præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia divina Officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempserint, præter divinæ ultionis acrimoniam, nostri quoque arbitrii pœnas incurrent: quæ omnia locorum quoque Ordinarii in suis Ecclesiis facient observari. Quicumque vero in Ecclesiis, dum ibi sacrificium Missæ, & divina celebrantur Officia, aut Verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid quod scandalum generet, aut divina perturbet officia, facere præsumpserit, pœnam viginti quinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas & moderandas pœnas; & qui non habebit in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Ecclesiis cum mulieribus impudicis, sive etiam honestis, colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, viginti quinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesiis, ut supra, obscœnis & inhonestis verbis, aut signis usus fuerit, aut alia fœda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacristis, Ostiariis, & aliis ipsarum custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, ut in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinariis, vel Officialibus nostris puniendos deferant. Quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrant.

§. 5. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes, per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque divinorum Officiorum ire non sinant; sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam Claustralibus, sive Regularibus, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat; & si negligentes fuerint, gravissime ab Ordinario corripiantur; quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrent, & & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive Superiorum.

§. 6. Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia cada-

cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

§. 7. Cum vero dierum Festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in lege divina præcipiatur, cupientes pravos usus, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, divinis Officiis devote intendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant (*). Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter divinam ultionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in urbe: in aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum magistratuum, ita ut præventioni locus sit. Quibus omnibus districte præcipimus, ut hæc diligenter observari procurent: illas etiam festivitates, quæ justa consuetudines locorum solemniter celebrari consueverunt, juxta laudabilem consuetudinem debita cum reverentia observari faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis.

§. 8. Et ut simoniacæ pravitatis labes prorsus aboleatur, Constitutiones Antecessorum nostrorum contra simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inviolabiliter observari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum Ordinum receptione, quam in Beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit in consequendis Ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas simoniace acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui Beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur; & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, præter supradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis degradatus, a fidelium consortio ejiciatur. Qui vero Ordines, & Beneficia simoniace contulerint, pœnis a jure statutis puniantur, cujuscumque gradus,

---

(*) *Ad hoc habes Conc. Trid. sess. 22. post princ.*

conditionis, & dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel majores fuerint.

§. 9. Caveant præterea quicumque ne in Sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid faciant, alioquin gravissime puniantur per locorum Ordinarios, qui hujusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procuret, juxta Conc. Trid. statuta.

§. 10. Ad abolendum vero nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum est; nunc autem propter nimiam judicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem, supra modum invaluit; Leonis X. Prædecessoris nostri in novissimo Lateranensi Concilio statuta innovantes decernimus, ut quicumque Laicus Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice, pœnam viginti quinque ducatorum incurrat; pro secunda, pœna duplicabitur: pro tertia autem, centum ducatos solvet; & ignominia notatus, exilio multabitur. Qui vero plebejus fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis, ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum: pro secunda, fustigabitur per urbem: pro tertia, lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque Clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium & quorumcumque beneficiorum suorum; pro secunda, beneficiis ipsis privetur; pro tertia, omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiæ, atque personæ, arbitrio judicis puniatur.

§. 11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetraverit, Curiæ seculari puniendus tradatur; & si Clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus, simili pœnæ subjiciatur.

§. 12 Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut statuta Trid. Conc. contra concubinarios tam Clericos quam Laicos edita, districte faciant observari, reddituri Deo, ac nobis, si id omiserint, rationem.

§. 13. Et ut præmissorum delictorum simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi, notitia facilius habeatur, volumus, quod in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denuntiationem procedatur per quoscumque judices, alias tamen de jure competentes, tam ratione delicti, quam personarum, ita quod inter eos locus sit præventioni.

§. 14.

§. 14. Monemus præterea omnes, & singulos, ut solum Dei timorem præ oculis habentes, & non alias animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus.

§. 15. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio nostro in urbe; extra vero, Ordinariorum; pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit.

§. 16. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ feudatariis, sub pœna privationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent: reliquos vero Principes Christianos, & terrarum Dominos hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut pro Divini nominis reverentia, & honore, præmissa omnia in suis dominiis, ac terris exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

§. 17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, facultatibus, & Litteris Apostolicis, quibusvis Capitulis, Conventibus, Militibus, Ordinibus, & personis, cujuscumque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus illorum tenore præsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 18. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 19. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1566. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

CONTRA ASTROLOGIAM JUDICIARIAM, & alia quæcumque divinationum genera (*).

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆli & Terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad justitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, & similitudinem suam creavit, mentem dederit, quæ non solum divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licet cum labore, præclara multa investigaret, atque intelligeret: tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reservavit.

Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur; solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet; solus denique omnia & singula, quæcumque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt.

Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Et in novo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventis paulo cupidius inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit: *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Nec vero ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessario, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ, improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ. Ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis divinatio dimanat, sive quod expresse ad futura manifestanda invo-

(*) *Edita anno D. 1583.*

invocentur, sive quod ipsi pravitate sua, & odio in genus humanum occulte, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omnis impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtiliore acumine, & aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat.

Quamobrem dubitandum non est, in hujusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude, ac dolis miseros homines a via salutis avertat, & laqueo damnationis involvat.

Quæ cum ita sint, nonnullis hæc fideliter, & religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes. Tales in primis sunt Astrologi, olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarii vocati, qui vanam, falsamque siderum, & astrorum scientiam profitentes, divinæque dispositionis ordinationem, suo tempore revelandam, prævenire audacissime satagentes, hominum nativitates, seu genituras, ex motu siderum, & astrorum cursu metiuntur, ac judicant futura, sive etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, sive quavis alia temporum, & momentorum vanissima observatione, & notatione, de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus, aliisque prosperis, & adversis casibus, & eventibus prænoscere, judicare, & affirmare temere præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis, cum S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc observat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & baptismum prævaricasse affirmet: ut illos merito Apostolus arguat, atque illis verbis increpet: *Dies observatis & menses, & tempora, & annos; timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

Hi igitur levissimi & temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumqte prospere, vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint; atque ob eam causam de iis rebus omnia judicia facere prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assume-

re, & palam venditare non dubitant. Quibus pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, ut ex hujusmodi judiciorum, & prædictionum præscripto, aliquid certo esse credant, aut sperent. Quorum sane & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui Cæli & Stellæ, & clarissima Cæli sydera, Sol & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt; sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat: *Ne forte elevatis oculis ad Cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.*

Sed quid sydera mirandum est homini servire? Nonne nobilissimæ intelligentiæ Angeli ipsi, *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solum Episcopos, quemadmodum a S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Præclare etiam S. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Quod si Angeli homines custodiunt, qui adversus Angelorum custodiam & tutelam astra moliri aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco prætereunda est eximii Ecclesiæ Doctoris, & Beatissimi Pontificis Magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas hæreticos, unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat: *Absit*, inquit, *a fidelium cordibus, ut aliquid esse Fatum dicant: vitam quippe hominum solus hanc Conditor, qui creavit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt; & si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur.* Utinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent, in Levitico dicentis: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Neque enim, quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio investigarent, iisdemque misere se decipi, atque irretiri paterentur.

Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impii, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem prænoscenda, & investiganda, in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pythomantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus, non sine Dæmonum saltem oc-

culta

culta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii vero aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusve signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres describunt, Dæmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt; eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, rebus sacris, vel Sacramentis, aut sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant, ad Dæmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda.

Alii præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt: ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ, in phialis seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo candelis accensis, etiam benedictis, sub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum Architectum orant, ut similiter futura vel occulta quævis per spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat; aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitiosis observationibus, futurorum & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicare contendunt.

Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod Dæmonis præstigiis ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, ut Astrologi, & alii prædicti, qui hujusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, injuste ac impudenter, quod Dei est, sibi assumant, & usurpent. Sic fit, ut

dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina Majestas graviter læditur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis pestis atque exitium importetur.

Et licet jam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent; permissis tamen judiciis, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta fuissent; libros vero omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant; cum valde frequenter, detectis Diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus; damnantes, & reprobrantes omne genus divinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem a prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent: cupientes præterea sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia & providentia, ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, ut par est, retineri; volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum & superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est: *Non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel*. Hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica authoritate statuimus & mandamus, ut tam contra Astrologos, & Mathematicos, & alios quoscumque dictæ judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, in posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant, aut protestentur; quam

con-

contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur & docent, aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant: tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes omnes & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi judiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato indice interdictos, sub censuris & pœnis in eo contentis, a quibuscumque Christi Fidelibus legi, aut quomodolibet retineri; sed illos Episcopis & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari & consignari debere. Et nihilominus eadem authoritate statuimus, & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores libere & licite procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire & coercere possint.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus, illas in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper universis & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Locorum Ordinariis & Prælatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis & singulis Parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit; deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia vero difficile foret, præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda

erit,

erit, deferri; volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac parvo sigillo sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Nonis Januarii, Pontificatus Nostri Anno 1.

Anno a Nativitate D. 1586. Indict. 14. die vero 9. mensis Januarii, Pontificatus S. D. N. D. Sixti divina Providentia Papæ V. anno 2. retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in Valvis seu Portis S. Joan. Lateran. & S. Petri Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & Aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissæ per nos Joan. Freile, & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Cursores.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

B U L L A

Contra Maleficos, & Sortilegos, cum Diabolo pactum facientes, a fideque apostatando alios lædentes.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui ut hominem a laqueis Diaboli liberaret, crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id summo studio, juxta creditum Nobis desuper Apostolicæ servitutis officium, incumbimus, ut Gregem Dominicum, inæstimabili pretio redemptum, adversus Satanæ fraudes defendamus, ejusdem officii partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane nonnulli suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab eis factæ, cum in Christi gregem per sacrum regenerationis lavacrum adsciti fuerunt: Satanæ, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur; quin imo magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat; proximum variis modis lædere, animas vero suas perdere non timent.

Quapropter, ut tam exitiosa scelera a Christi fidelibus arceantur, gravioribus pœnis vindicanda duximus. Mo-

tu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut constito, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & a fide apostatando, maleficiis, seu sortilegiis, unam seu plures personas ita læserit, ut ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam primo lapsu, Curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui vero similiter apostatando, pactum cum Diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animabus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit; muro claudi, sive perpetuis carceribus, in Sancto Inquisitionis officio, ubi illud existit, fabricandis, mancipari debeat. Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, sive Inquisitori denunciare teneantur. Non obstantibus, &c.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Martii 1623. Pontificatus nostri anno tertio.

LETTERA CIRCOLARE,

Per ordine della Santità di Nostro Signore, scritta dalla S. Congregazione de' Vescovi, sopra la venerazione, e rispetto dovuto alle Chiese 30. Luglio 1701.

PRemendo alla Santità di Nostro Signore di soddisfare alle parti del suo Appostolico Ministerio, con andare estirpando, per quanto è possibile, dal popolo l'offese che si fanno al Signore Dio, e quelle particolarmente, che cagionando publico scandalo, portano più irreparabile rovina spirituale all'anime, e provocano maggiormente l'ira divina sopra di noi, ha posto l'occhio sin dal principio del suo Pontificato, in primo luogo sopra l'abuso oggimai troppo universale del poco rispetto che si usa alle Chiese, le quali dovendo esser casa di orazione, pajono per la irreligiosità di molti mali Cristiani quasi ridotte a case di libertà, e di peccati.

Mi ha però comandato espressamente la Santità sua, d'incaricare a suo nome a V. S. siccome a tutti gli Ordinarj d'Italia, e delle Isole adjacenti, che con ogni studio e diligenza procuri di porgere rimedio all'inconveniente predetto, e di restituire alla Casa di Dio la riverenza, ed il rispetto che gli è dovuto. Ed a tale effetto la Santità sua, rinovando colla presente tutte le disposizioni de' Sagri Canoni, Costituzioni, e Decreti Appostolici altre volte fatti, e promulgati da' Sommi Pontefici suoi Predecessori, intorno alla stessa materia; vuole, che V. S.

1. Per mezzo di Prediche, e Sermoni, o con Editti, e Lettere circolari, istruisca e faccia ben ponderare a'

suoi Popoli, quanto dispiaccia alla Maestà di Dio l'irriverenza nelle Chiese: insinuando le minacce della Sagra Scrittura, ed i castighi pubblici, come di peste, fame, guerra, terremoti, e simili, che per comun sentimento de' Santi suole Dio specialmente mandare, per vendicare gli affronti, che i mali Cristiani vanno a fargli nella sua propria Casa; *Quoniam ultio Domini est, ultio templi sui*. In segno di che, come notano i medesimi Santi, non si trova che Cristo Signor nostro gastigasse colle sue proprie mani altro peccato che questo, mentre con i flagelli scacciò i profanatori dal Tempio.

2. Prescriva a' Confessori, che ammoniscano seriamente sopra di ciò li penitenti.

3. Faccia specialmente avvertire le donne, che vengano alle Chiese colla dovuta modestia, ed umiltà, non con pompe, gale, vanità, ed ornamenti indecenti, nè con alterigia, o fasto più confacevoli a luoghi di libertà e di feste profane, che al Santuario di Dio; ricordandosi, che alla Chiesa dee andarsi per placare l'ira divina, non per irritarla; e non per commettere, e cagionare nuovi peccati, ma per cancellare i commessi: non potendosi ridire senza orrore, che per cagione dell' immodestia feminile, siano in alcuni luoghi le cose ridotte a segno, che in vece di andar alle Chiese per trovarvi la divozione, convenga tal ora fuggirne per non la perdere.

4. Dove potrà farsi comodamente, si destini ed assegni a gli uomini luogo destinato e separato da quello delle donne, nè si permetta, che gli uni si fermino e stiano in quello dell' altre: di maniera che resti tolta tra di loro ogni indecente comunicazione.

5. Insista onninamente, che nelle Chiese non si facciano colloquj profani, circoli, o strepiti; nè si trattino negozj, e molto meno si amoreggi, riprendendo con santo zelo i transgressori, e gastigandoli severamente, con implorare anco, in caso di bisogno, l' ajuto del braccio secolare.

6. Spezialmente invigili, che al Santo Sagrifizio della Messa assistano tutti con l'attenzione e religiosità che conviene ad un Mistero sì venerabile: e mostrino anche esternamente, di starvi presenti, non pure col corpo, ma eziandio con la mente, e con divoto affetto del cuore.

7. Ordini altresì agli Ecclesiastici, che nella divozione, modestia, e decoro in celebrare i Divini Uffizj, ed esercitare l' altre sagre funzioni, si portino in guisa, che non abbiano a soggiacere alla maledizione intimata da Dio a chi fa l' opera sua negligentemente: e si tolga a' secolari ogni occasione di scandalo, e di mal esempio.

8. Provveda parimente, che la stessa modestia e divozione si osservi dal Clero, e dal popolo nelle Processioni Ecclesiastiche, le quali essendo state instituite per implo-

rar grazie e misericordia dal Signore, e per ringraziamento de' benefizj da S. D. M. ricevuti, debbono essere accompagnate non da' discorsi vani, e portamenti indecenti, che pur troppo si vedono, come se si andasse a diporto; ma da Orazioni, ed altri atti di cristiana divozione, che possano esser graditi dal Signore Iddio, secondo l' intenzione di Santa Chiesa.

9. Molto più si faccia ciò osservare, quando nelle dette Processioni si porta il Santissimo Sagramento, o nelle Feste solenni, o per il Santo Viatico a gl' infermi: nella quale occasione sarà molto lodevole, che per quanto potrà V. S. procuri d' introdurre nella sua Diocesi l' osservanza delle Regole ed istruzioni sopra ciò promulgate in quest' alma Città di Roma, l' anno 1695. dalla san. mem. d' Innocenzio XII. eccitando i fedeli a rendere in quella sagra azione ogni più devoto ossequio al Venerabilissimo Sagramento dell' Altare, anche per conseguir li tesori spirituali delle sante Indulgenze a tal effetto concedute da' Sommi Pontefici, e specialmente dalla san. mem. di Papa Innocenzio XI. e susseguentemente dall' istesso Innocenzio XII.

10. Procuri, che le Feste e le Solennità si celebrino con modestia e divozione, e senza spettacoli, conviti smoderati, e profanità vietate da' Sagri Canoni: e che nelle musiche si osservi il decoro Ecclesiastico, senza mescolanza di parole non usate dalla Chiesa. In tali solennità, ancorchè maggiori, li Divini Uffizj e le Messe cantate si celebrino secondo gli approvati sagri Riti, ed alle ore prescritte dalle Rubriche, di modo che le Messe cantate non si prolonghino più che fin al mezzo giorno; ed i Vesperi e le Compiete, oltre al tramontar del Sole, avvertendo, che alle 24. ore terminati sieno tutti i Divini Uffizj, ed ogni altra sagra funzione, e nella medesima ora sieno serrate tutte le Chiese; e questa regola debba anche esattamente praticarsi nelle vestizioni e velazioni delle Monache.

11. In caso di transgressione circa le predette cose, minacci con pubblici Editti, o in altre maniere, che stimerà più proprie, gravi pene, ed anco di proibire le sopraddette funzioni e feste, e di sottoporre, in caso di bisogno, all' Interdetto Ecclesiastico le medesime Chiese.

12. Proibisca onninamente, e sotto gravi pene, a' poveri, ed a' mendicanti, l' andar cercando limosina per le Chiese, nascendo da ciò un gran disturbo a' Divini Uffizj, ed all' orazioni de' fedeli.

13. Ordini a' Parrochi l' invigilare e correggere li delinquenti circa tutte le cose suddette, e bisognando, denonziarli al suo Tribunale; castighi gli stessi Parrochi, quando in ciò manchino.

14. Intimi la medesima vigilanza ed attenzione alli Superiori Regolari per le Chiese loro, ed in caso di contravvenzione, o negligenza, oltre agli altri rimedj

medj prescritti da' Sagri Canoni, ne dia parte a questa Sagra Congregazione, che punirà li medesimi Superiori, anco colla privazione de' loro Uffizj, ed altre pene più gravi.

Confida la Santità di Nostro Signore, che basterà questo semplice eccitamento al zelo di V. S. per animarla a compire esattamente in questa parte al suo debito pastorale, per non essere incolpata al Tribunale di Dio, di aver taciuto, quando conveniva alzar la voce e la mano contro gli profanatori del Santuario; e che però sarà ella per impiegare ogni studio, a fine di provedere ad un disordine sì importante, e sì scandaloso, che in realtà ferisce il paterno cuore della Santità sua, la quale è risoluta di fare quanto è possibile dal canto suo, acciocchè si tolga questa abbominazione dal luogo santo; e che la nostra Italia, in cui risiede il Capo visibile della Chiesa, e che è posta, come sotto i suoi occhi, possa anco in questa materia di rispetto alle Chiese, servire di esempio a tutte l'altre Nazioni del Cristianesimo, ed in tal maniera preservarsi da quei flagelli, che per castigo delle nostre colpe pur troppo ci vengono presentemente minacciati dalla divina giustizia.

G. Card. di Carpegna, Prefetto.

G. D. Paracciani Prosegretario.

DECRETA

SACRÆ CONGREGATIONIS

A SS. D. N. Innocentio Papa XII. super disciplina regulari specialiter deputatæ, ejusdem SS. D. N. authoritate edita.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro paterna charitate, qua in Religiosos Ordines, multis, magnisque in Ecclesiam meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur; volens eorum conservationi & propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi cælitus Pastoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani populi ædificationem, utilitatemque, sarta-tecta custodiatur, & vigeat, & sicubi collapsa est, adjuvante Domino reparetur; constituit & declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum, ut volentibus e periculosis sæculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facilis, tutusque aditus ape-

aperiatur, dummodo tamen ea, quæ pro regulari vita recte instituenda, tam a Sacrosancta Tridentina Synodo, quam a Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus, præcipue vero fel. rec. Clemente VIII. in Decretis generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & Professorum educatione, salubriter constituta sunt; quibus omnibus firmiter inhæret Santitas sua, eaque, quatenus opus sit, confirmat & renovat (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum statutis, seu aliis ordinationibus ab Apostolica Sede in forma specifica post eadem Decreta forsitan approbatis, aut editis) exacte, & inviolabiliter serventur.

Quocirca Sacra Congregatio, ab eodem Sanctiss. Domino Nostro semper disciplinæ regulari specialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione Decreta dedit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, ac plenius, ac celerius innotescat; de mandato Sanctitatis suæ, præsentis Decreti tenore, denunciat omnium, & singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, cæterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Insulas adjacentes, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique authoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis, ad formam eorumdem Decretorum, ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandæ. Postquam vero regularem observantiam, & signanter quoad exactam vitam communem cum effectu stabilitam fuisse, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam Præpositi, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium jurejurando firmato testimonio, necnon per secretas informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem Sacræ Congregationi sufficienter constiterit: tunc Sanctitas sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi, benigne concedet, & locum ad Professos pietate, & litteris instituendos, usque ad Sacerdotium, vel alias juxta Constitutiones, & laudabiles cujusque Ordinis consuetudines, in iisdem Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem observantiæ, destinabit.

Quæ quidem omnia quo facilius, efficacius, & durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio, sanctitatis suæ authoritate committit, & in virtute

tute sanctæ obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiæ, & puritatis Regulæ studiosos, orationi præsertim, ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

Ut autem tam laudabilis vitę institutum, & regulari professioni maxime proprium, Religiosi alacrius arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem Sacra Congregatio similiter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, Apostolica authoritate) præfici omnino curent viros, non solum disciplinæ zelo, sed etiam charitate, & morum suavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant. Studeant vero præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum, & vestitum, quam ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis prompte subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus morari non patiantur, ultra eum numerum, qui ex illorum reditibus, & consuetis communibus, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisque quibuscumque obventionibus pariter in commune conferendis, valeat commode sustentari.

Eos vero, qui semel præfatæ observantiæ, & exactæ vitæ communi libenter, ut vere Religiosos decet, se subjecerint, & in ea laudabiliter perseverent, nullatenus a memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi forte ad alia monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commode provideri.

Quod si redituum & eleemosynarum tenuitas hujusmodi exactæ vitæ communis observantiæ alicubi videatur obsistere, liceat ejusdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior visa fuerit, remedium postulare.

Sciant vero Superiores prædicti, eos, qui præfata omnia sedulo, ut par est, adimplere curaverint, specialem a Sanctitate sua, & Sede Apostolica inituros gratiam, & protectionem; atque in iis præcipue, quæ ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos; qui vero e contra negligentes, (quod absit) contumaces reperti fue-

fuerint, gravibus pœnis, pro modo culpæ, & etiam privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda, puniendos fore; præfatæ autem observantiæ nihilominus stabiliendæ, per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos, a Sancta Sede efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

Porro ne regularis disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte construitur, simul ex altera destruatur; Sacra Congregatio, Sanctitate sua similiter approbante, statuit, atque decernit, nulla in posterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactæ vitæ communis, ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuo & inviolate servandæ: ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter alia ad id requisita, prius legitime constiterit, adesse annuos reditus, vel certam eleemosynarum stipem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta vita communi commode valeant sustentari.

Non obstantibus, circa præmissa omnia, & singula, Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcumque Ordinum statutis, consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuscumque Ordinis, & Instituti sint, Sanctitatis suæ verbis serio admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant, Decretisque Apostolicis pro æterna eorum salute editis sincere, ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis, abduci se sinant; sed professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed divina charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur; nimis enim turpe esset, eos ad sæcularia desideria, quibus semel aspirante Domino renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est; veterumque illorum infidelium gloriosos imitatores, ac veluti hæredes esse, quorum *erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem*

tem singulis, prout cuique opus erat: ideoque in Regularis vitæ, ac præcipue sanctæ paupertatis, quæ est parens quædam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem sollicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperem respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se; sed dives in misericordia, centuplum & vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. Datum Romæ, die 18. Julii 1695.

D. Card. Carpineus.

Carolus Augustinus Fabronus,
Sac. Cong. Secretarius.

Anno a Nativitate D. N. Jesu-Christi 1695. Indictione tertia 21. Julii, Pontificatus SS. D. N. Innocentii XII. anno quinto, supradicta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & Curiæ generalis in Monte Citatorio, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Gregorium Staggium, ejusdem SS. D. Papæ Cursorem.

Joannes Græcus, Magister Curs.

EDITTO

Per l' osservanza delle Feste.

Marc' Antonio Barbarigo, del Titolo di S. Marco della S. R. C. Prete Cardinale, Vescovo di Montefiascone, e Corneto.

Benchè in altro nostro Editto, per l'osservanza, e santificazione delle Feste, emanato sotto li 4. Ottobre 1698. siasi sopra tal materia molto detto, e prescritto; con tutto ciò l'esperienza ci fa conoscere, che li nostri Ordini non furono bastanti a trattenere le anime dalla trasgressione di un sì espresso comandamento fatto anche dal Signor Iddio nella sua Legge: per il che vedesi pur troppo adirata la Divina Giustizia, ponendo in uso quei castighi, co' quali fu solita di punire simili eccessi. E però a' dettami della nostra Pastoral sollecitudine, considerando, quanto sia espediente di far intendere a' popoli a noi soggetti le voci assai manifeste del Cielo, che a replicate scosse, e tremori della terra, palesano il grave torto, ed ingiuria, che a Dio si fa, impiegandosi quei giorni, che sono riserbati spezialmente al suo onore, e gloria, in opere non solamente servili,

vili, ma quel, ch'è peggio, peccaminose, come sono le ubbriachezze, ed amoreggiamenti, che quando fossero nella nostra giurisdizione, non hanno da noi a tolerarsi, dovendosi tutti applicare nelle Feste a frequentar le Chiese, assistere alle Messe e Divini Uffizj, purificare l'anime con l'Orazioni, e Santi Sacramenti, in udire la parola di Dio, andare alla Dottrina Cristiana, ed attendere di proposito all'unico, ed importantissimo negozio della salute eterna. Inerendo noi dunque alle disposizioni de' Sacri Canoni, a' Decreti del Sagro Concilio di Trento, ed alla lettera Circolare della Santità di Nostro Signore, in questi ultimi giorni a noi trasmessa, con ordine preciso della Santità sua di dover invigilare sopra tutto alla santificazione delle Feste, che consiste nel mondar l'anime da' peccati, stabilirle nel bene, e deputare tutte le ore del giorno festivo ad onore di Dio, in ringraziamento de' benefizj ricevuti, e che continuamente riceviamo da Sua Divina Maestà, e per implorare dalla medema gli ajuti necessarj alla salute: Col tenore del presente nostro Editto dopo di aver ricordato l'obbligo, che ciascheduno ha di santificar le Feste sotto precetto di peccato mortale, ordiniamo, e comandiamo a ciascheduna persona di qual si sia stato, grado, e condizione, che ne' giorni Festivi di precetto non ardisca lavorare, vendere, o aprir bottega, nè attendere a negozj profani, ed illeciti in detti giorni, come anche cessare da qualunque opera servile, sotto pena, oltre la perdita delle robe, che si venderanno, o porteranno da un luogo all'altro, di carcere, ed altre pene corporali, e pecuniarie, ed altre a nostro arbitrio, alle quali pene doveranno esser tenuti i Padroni, e Maestri per li loro Garzoni, i Padri di famiglia per li loro figliuoli, ed i Capi di casa per i servitori. Che però proibiamo espressamente a tutti i Padroni, ed affittuali di poderi, vigne, e territorj, di far lavorare in detti giorni nelle loro Campagne sotto le medeme pene, le quali si eseguiranno tanto contro di loro, quanto contro de' Contadini medesimi irremissibilmente; ed in caso di necessità, come di vendemmia, raccolta di fieni, e grano, doveranno far ricorso a noi, o al nostro Vicario Generale in Città, e Vicario Foraneo ne' luoghi della Diocesi, per ottener licenza gratis in scriptis, a proporzione del bisogno. E perchè sotto pretesto delle cose necessarie al vitto, ed uso quotidiano, non venga a rilasciarsi la dovuta osservanza delle Feste, prima col presente nostro Editto rivochiamo tutte, e qualsivoglia licenza, che da qualunque persona fosse stato intorno a ciò conceduta, volendo, che in occasione di precisa necessità si ricorra come sopra a noi per la licenza, e per quello si potrà tollerare ne' giorni di Festa, che servirà per norma, e regola a' nostri Vicarj Foranei, dichiarando noi quello, che potrà tollerarsi, come segue.

I. A Speziali, che possano vendere ogni giorno ad ogni ora, purchè tenghino la bottega serrata, e la porta tanto solamente aperta, quanto basti a vedere; e non permettino, che vi entrino persone a far circolo, nè a giocare, nè fare cose simili, sotto pena, come se avessero trasgredito il precetto della Festa.

II. A Macellari, e Pizzicaroli, si tollera, che vendino dentro le loro botteghe, purchè non tenghino che lo sportello aperto, in modo però, che non si vedino le carni.

III. A Contadini ortolani si tollera, che portino a vendere frutti o erbaggi, e simili cose; purchè ciò non si faccia in tempo di Predica, e Dottrina Cristiana.

IV. I Fornari non si molestino, se non dopo un' ora di Sole, nel cuocer il pane.

V. A Barbieri si tollera il medicar feriti, purchè si faccia con la bottega serrata, ed in nessun conto far la barba.

VI. A Marescalchi si tollera il ferrare li Cavalli, &c. per due ore dopo la prima Messa, purchè non lavorino nella focina, nè accendino il fuoco, &c. ed a Ferrari il consegnare a Contadini i Ferri per la Campagna, purchè ciò faccino, tenendo solamente lo sportello della bottega aperto.

Nelli giorni di Natale, Epifania, Pasqua di Resurrezione, e Pentecoste, non si permette alcuna delle tolleranze suddette a veruno, eccettuato li Speziali, e dopo i Vesperi, e Prediche, i Macellari, e Pizzicaroli.

Non si tolleri in alcun giorno di Festa i Ciarlatani, Saltatori, Giochi, Cantatori di canzone, o istorie, eziamdio di divozione: nè possino esercitare detti atti, nè far circoli, nè in quelli vendere nessuna sorta di rimedj, acque, &c.

Finalmente proibiamo di giocare a qual si sia giuoco, anche lecito, in pubblico, e di nascosto, dietro de' Conventi, Monasterj, Chiese &c. sotto le pene, come sopra, avvertendo ciascheduno di ubbidire puntualmente a questo nostro Editto, e non contravvenire in qualsisia parte del medesimo, perchè contro i transgressori si procederà irremissibilmente, anche per Inquisizione non ostante qualsivoglia mendicato pretesto, o pretesa consuetudine in contrario, alle pene più rigorose.

Dato in Montefiascone dal nostro Palazzo Vescovale questo dì 28. Aprile 1703.

M. A. Card. Barbarigo.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa dies festos servandos tempore Nundinarum, & Mercatuum.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PATERNÆ charitatis officium, quo Christifideles omnes in Domino complectimur, eorumque felicitati procurandæ spirituali in primis, ac deinde temporali etiam, quantum in Nobis est, studemus, Nos admonet ac stimulat, ut diligentiori studio ac cura ad ea intendamus animum, quæ ad Subditarum in temporalis Nobis, ac Sedi Apostolicæ Civitatum publicum, & privatum commodum, communemque utilitatem pertinent. Æquitatis enim ratio, & justitiæ rectitudo postulat, ut qui sub temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio positi ac degentes, superna dispensatione parvitatis Nostræ regimini, & gubernio temporali concrediti sunt, & a Nostra Pastorali solicitudine bona non solum, quæ ad salutem animarum, sed etiam, quæ ad subsidium, & opem hujus mortalis vitæ sustentandæ inserviunt, certa ac firma fiducia sibi pollicentur, justa expectatione sua, ac spe in Nobis reposita minime defraudentur; seu abundantius etiam, quam sperant, optata sua, sine ullo tamen spirituali animarum suarum detrimento, consequantur, ut votorum suorum compotes facti, in uberi rerum necessariarum copia, omnium bonorum Largitori humiles gratiarum actiones lætanter persolvant.

§. 1. Jamdudum, & ab immemorabili tempore in Civitate nostra Senogalliensi celebres Nundinæ per octo dies ante Festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & quatuor subsequentes, magno hominum concursu ex remotis & longinquis Europæ, atque Asiæ parti-

bus ad eas confluentium peragi consueverunt. Cum autem intra illorum dierum spatium dies festi unius, aut alterius Dominicæ mensis Julii, & Sancti Jacobi Apostoli, & Sanctæ Annæ incidere soleant, non sine animi nostri dolore accepimus, quod his diebus, in quibus Christifideles in operibus pietatis, ac religionis se exercere debent, aliqui pravi homines, Dei & Catholicæ Ecclesiæ præceptorum immemores, & turpi lucro, animarum suarum salute posthabita, inhiantes, per integrum festorum dierum tempus in operibus servilibus, & commerciis obeundis, negotiisque temporalibus tractandis, non sine bonorum scandalo, imo Gentium, & Judæorum admiratione, occupati sunt.

§. 2. Nos igitur ex commisso Nobis Pastoralis solicitudinis munere, tam pernicioso abusui, & gravi malo opportunum remedium afferre, & detestandam hanc abominationem e medio dilectæ Nobis Civitatis Nostræ auferre cupientes; Volentesque etiam indemnitati, & perpetuitati jurium & privilegiorum ejusdem Civitatis, ejusque, ac totius temporalis Status nostri commodo, atque utilitati, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere: Motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis, hac nostra in perpetuum valitura sanctione decernimus ac constituimus, & Apostolica nostra auctoritate mandamus ac jubemus, ut tempore Nundinarum, quas in posterum in præfata nostra Civitate de more haberi volumus, festi dies pie sancteque, perinde ac reliquo totius anni cursu, a Christifidelibus colantur, Officinæ, ac Tabernæ claudantur, nullaque publice exerceantur commercia, stipulenturque contractus, neque alia omnia fiant, quæ in cæteris anni festis diebus a Christifidelibus peragi prohibentur, eo potissimum tempore, quo in Majori Ecclesia Sacra Missarum solemnia fieri, & Vesperarum Divina Officia celebrari, & prædicatio verbi Dei haberi consuevit; mane scilicet ab hora decimatertia usque ad meridiem, post meridiem vero ab hora vicesima prima diei usque ad occasum Solis; & per totum dictum temporis spatium omnes Christifideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant, sed ab omni terrena cura, & temporali solicitudine liberi & vacui, ad Ecclesiam pergant; ibi Sacrosanctæ Missæ Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint: quin etiam exhortamus in Domino, ut in precibus quoque, Divinisque laudibus persolvendis, audiendoque verbo Dei frequentes sint, & per totum festum diem, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ Christianam pietatem continent, & comitantur. Si qui autem temerario ausu, Dei, & Ecclesiæ præcepta contemnentes, hanc nostram Constitutionem transgredi tentaverint; Volumus, ut omnibus, & sin-

gulis

gulis subjiciantur pœnis, ac censuris alias a Nobis, nostrisque Prædecessoribus contra inobservantes, temerantesque dies festos statutis, ac determinatis, quas, quatenus opus sit, contra eosdem delinquentes rursus sancimus, constituimus, ac determinamus.

* §. 3. Deinde vero ne ex hac Constitutione, & provisione nostra aliquod temporale damnum Civitati prædictæ, aliisque ditionis nostræ, & Status Ecclesiastici populis præjudicium, vel detrimentum publico commercio ejusque libertati oriatur, præfatarum Nundinarum tempus ad alios quinque dies, præter solitos & consuetos, producimus, ac prolongamus, in hunc modum videlicet: Ut Nundinæ prædictæ in Civitate nostra Senogalliensi de more celebrentur per octo dies ante festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & insuper per novem dies subsequentes, usque ad initium sequentis mensis Augusti; & ulterius ad pleniorem præmissorum effectum, & hujus voluntatis, provisionis, ac determinationis nostræ executionem, omnia & singula jura, privilegia, indulta, statuta, consuetudines, sententias, ac rescripta quomodocumque a Nobis, nostrisque Prædecessoribus, præsertim Urbano VIII. & Innocentio X. quorum tenores hisce nostris præsentibus Litteris de verbo ad verbum pro insertis, & expressis haberi volumus, contra quoscumque emanata, & a præfata Civitate nostra Senogalliensi obtenta atque impetrata, super jure privative celebrandi præfato tempore Nundinas prædictas, tenore præsentium, non ad ullius petitionis instantiam, sed motu proprio, scientia, & potestate pari, confirmamus ac roboramus, eisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur, & Apostolicæ confirmationis munimen adjicimus.

* §. 4. Denique, ut commerciorum per dictum Nundinarum tempus celebritas inter nostros Subditos, & exteros Mercatores, qui ex diversis, & dissitis regionibus terra, marique cum variis mercibus, ad victum, & communem vitæ usum utilibus & necessariis adveniunt, navium numero, jumentorumque multitudine, Mercatorum frequentia, hominumque concursu, copia & ubertate mercium in dies magis magisque augeatur, omnes gratias, immunitates, ac privilegia, liberum ac tutum commeatum, accessum, ac recessum, & promissam sub fide publica securitatem omnibus & singulis ad dictas Nundinas in Civitate nostra Senogalliensi peragendas accedentibus, ibique commorantibus, eo modo ac forma, qua durante dictarum Nundinarum tempore gaudere ac perfrui consueverunt, de Apostolica benignitate per supradictum a Nobis constitutum temporis spatium confirmamus, ac de novo indulgemus, atque impertimur.

* §. 5. Decernentes sic, & non aliter in præfatis o- * mnibus, & singulis censeri, ac per quoscumque Judi- * ces Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii * Apostolici Auditores, ac nostram Cameram Apostoli- * cam, ejusque Officiales quomodocumque nuncupatos, * & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, et- * iam de Latere Legatos, præsertim Status Nostri Ur- * bini, & quosvis alios quacumque auctoritate fungen- * tes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet qua- * vis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & au- * ctoritate, judicari, & definiri debere; & irritum, & * inane, si secus super his a quoquam quavis auctorita- * te, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

* §. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordina- * tionibus Apostolicis, necnon Legibus Imperialibus, & * Municipalibus, & quatenus opus sit, Nostra, & Can- * cellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollen-* * *do*, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam Præ- * decessoris Nostri Constitutione de gratiis qualecumque * interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem * Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes * Literæ, etiamsi in eadem Camera nullo unquam tem- * pore præsententur & registrentur, nihilominus valeant, * plenamque roboris firmitatem obtineant: necnon qui- * buscumque, & quavis firmitate alia roboratis Statutis, * & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & * Literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque * tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam deroga- * toriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacis- * simis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis * decretis in genere, vel in specie, ac alias in contra- * rium præmissorum quomodolibet concessis, & innova- * tis: Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium & * singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficien- * ter expressis, & de verbo ad verbum insertis haben- * tes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmis- * sorum effectum specialiter, & expresse derogamus, * cæterisque contrariis quibuscumque.

* §. 7. Cæterum, quia nimis difficile foret præsentes * Nostras originales Litteras ad singula loca, ubi opus * esset, deferri, volumus, ut earum transumptis etiam * impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo * alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ * munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præ- * sentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

* §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa- * ginam nostræ constitutionis, provisionis, concessionis, * confirmationis, Statuti, necnon prohibitionis, decre- * ti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario con- * traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in- * dignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe- * tri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

* Da-

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimoquarto, Nono Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno V.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

J. Datarius.

J. B. Eugenius.

J. C. Boschi.

Registrata in Secretaria Brevium.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa idem.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.

BENEDICTUS

PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AB eo tempore, quo copiosus in misericordia Dominus, Nos, licet immeritos, ad summum Catholicæ Ecclesiæ Pontificatum exevit, complures diversi ordinis illustres Viri, itemque Episcopi, & Archiepiscopi in Italia, & extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut Dies Festos, ubique fere nimis auctos, quibus Christianus Populus feriatur, Apostolica auctoritate, imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quotidiano labore sibi victum quærunt, facile consuleretur, ac simul gravia adimerentur absurda, quæ ex Festorum dierum multitudine, ac frequenti violatione oriri solent, non sine aperto Religionis dispendio. Re expensa, negocii difficultatem probe intelleximus: quare peculiari Scripto, publicis etiam typis vulgato, rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: consilium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Epi-

scoporum Italiæ, aliarumque Regionum, Ecclesiasticorum Præsulum, Theologorum, Jurisconsultorum, aliorumque Virorum Doctorum, humanas, civilesque res callentium, an hujusmodi petitio esset exaudienda: Si vero illam exaudiri æquum esset, & congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter, ac prudenter imminutio præscriberetur.

§. 1. Petita responsa tam varia, ut solet contingere, suo tempore accepimus, ut fere sua cuique fuerit sententia. In aliud proinde tempus negotium rejecimus, eam in spem adducti, ut Episcopi cujusque Provinciæ, vel Ditionis, unanimi voto in sententiam imminuendi Dies Festos primum convenirent; deinde vero, quo commodius id fieri posset, concordi pariter suffragio medium aliquod suggererent ex tot memoratis in Scripto Nostro, ac pro illius executione Pontificium assensum exposcerent. Hoc sane pacto inita ab Ordinariis consilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuissent, sed tantum Supremæ Apostolicæ Sedis auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster integram esse voluit in decernenda imminutione dierum Festorum, qui in sua Constitutione recensentur. Demum una eademque Episcoporum deliberatio, Apostolicæ auctoritatis tecta munimine, nedum plurimum valuisset ad compescenda Censorum ingenia; sed etiam sublata fuisset disparitas illa ritus, quæ hodie viget, Disciplinæ Ecclesiasticæ injuriosa, ut intra paucorum milliarium ambitum, & inter finitimos Populos, unus idemque dies ab aliquibus Festus de Præcepto, ab aliquibus vero ferialis haberetur.

§. 2. Hæc methodus feliciori sorte in universa fere Hispania excepta est: Cum enim postremi Tarraconensis Concilii Patres regulam quandam constituerint Dierum Festorum, quibus, pro illorum conditione, atque discrimine, Populi Divino interesse Sacrificio, & servilibus operibus abstinere debent; & aliorum, quibus Missæ tantum interesse debent, tributa postmodum libertate vacandi operibus servilibus; fel. record. Benedictus XIII. Decessor, & Benefactor Noster disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum approbavit. Quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, Nobis humiliter supplicarunt, ut ad minuendum nimis auctum Festorum numerum, liceret ipsis etiam servare regulam in præfato Tarraconensi Concilio provide constitutam. Annuimus instantiæ: exindeque omnium fere Hispaniarum Dioecefeon uniformitas in dierum Festorum celebratione, & ritu exorta est.

§. 3. Aliis quoque Catholici Orbis Regionibus servata a Nobis in hoc negotio conficiendo matura dilatio profuit. Interea siquidem aliquot Regni Poloniæ

Epi-

Episcopi, mentis aciem ad substantiam, & modum imminuendi dies Festos dirigentes, per Literas Nobis significarunt, in illis Diœcesibus, suos late fines protendentibus, æstivo tempore Incolas, Agrorum culturæ, & aliis servilibus operibus, quibus vivunt, & sustentantur, dantes operam, difficillime ab illis abstinere posse diebus festis inter hebdomadam occurrentibus: Enixe propterea Nos rogarunt, ut quæ per hebdomadam æstivo tempore occurrunt Festa, in dies Dominicos transferremus, excepto Festo Assumptionis B. Mariæ Dei Genitricis, quæ quovis die accideret, religiose ab universis celebraretur. Quorum petitio per Nos, maturo præmisso examine, exaudita, in Regionibus illis optatam ab Episcopis, & Populis tranquillitatem peperit.

* §. 4. Quo vere ad Italiam pertinet, credi vix potest, quam prudens, ac religiosus de re ipsa fuerit sermo, quem Nobiscum instituit Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris. Non sine intimo, ac plane acerbo animi sui mœrore Nobis exposuit, Dies Festos, quibus Christiani Populi feriari debent, in subjectis sibi regionibus passim violari, ob nimis auctum illorum numerum; huic porro malo non aliam adhiberi posse medelam, præter diminutionem Suprema Auctoritate Nostra opportune faciendam. Significare illi non omisimus, gravem ac molestam utrique solicitudinem oborituram, si rem tanti ponderis inconsultis Episcopis conficere vellemus. Idcirco ut omnia feliciter procederent, non solum exquirendas esse illorum sententias: sed oportere, ut Antistites finitimi, vel Metropolitæ cum suis Provincialibus, studia, & voluntates in eumdem scopum dirigentes, quod tandem facta opus esset, ad Nostri deferrent Apostolatus auditum. Par omnium suffragium communem tranquillitatem subjectis Populis allaturum, & quod potissime in rebus sacris quærendum est, ritus uniformitatem, & disciplinæ concordiam.

* §. 5. Id ipsum significavimus Episcopis temporalis nostræ Ditionis, quorum nonnulli privato sermone Nobiscum habito, nonnulli vero suis ad nos datis Literis, Apostolicam auctoritatem ad Festos dies imminuendos enixe implorarunt. At cum ipsi nihil hactenus præstiterint, nihil & nos egimus, liberam, prudentemque Episcoporum concordiam in hoc negotio præstolantes, non imperantes, & exigentes. Etenim moderatio numeri Dierum Festorum non a voluntate, sed a sola pendet necessitate, quam nemo melius, quam Episcopi norunt; ideoque ad eos potissimum pertinet, mali conditionem, & apta eidem remedia proferre: Nec facile adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, & implexo negocio quidquam decernamus, nisi

audita prius concordi quoad *substantiam*, & quoad *modum*, Episcoporum sententia.

§. 6. Hæc Vobis, Venerabiles Fratres, eum in finem scribimus, ut non solum cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio a Nobis inita in hac gravi causa imminutionis Dierum Festorum; verum etiam ut opportune nunciaremus, si vestra consilia ex voto nostro Nobiscum communicavissent, vel sublata prorsus, vel saltem magna ex parte submota fuisſent mala, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non semel a Nobis expostulastis.

Cumplures etenim vestrum voce, aut scripto improbarunt abusum Mercatuum, & Nundinarum, quæ fieri solent Diebus Festis, quibus feriari oportet, ut Populus unice in res sacras incumbat; rationem a Nobis poscentes, qua grassanti in diem malo occurri possit.

§. 7. Inter modos propositos, atque servandos in imminutione, ac celebratione Festorum, præcipuus ille est, quo inter ipsos Festos dies discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, Beatæ Mariæ semper Virginis Dei Genitricis, ac in aliis solemnioribus in memorato Scripto Nostro indicatis, debet Christianus Populus nedum interesse Divino Sacrificio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis; In cæteris vero minus solemnibus, qui tamen ex præcepto celebrari consueverunt, imposita est Christifidelibus obligatio interessendi Missæ Sacrificio, tradita in reliquis cuique illorum potestate ea faciendi, quæ fieri solent diebus ferialibus.

§. 8. Quo cautius, ac tutius incederemus, consulere voluimus Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus, & Oppidis temporalis suæ Ditionis habendarum Nundinarum facultatem tribuerunt. Multi iis diebus Nundinas fieri permiserunt, quibus Christifideles (juxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, divinoque adesse Sacrificio; sed numerum longe majorem illarum comperimus, quæ incidunt in eos Dies Festos ex præcepto, quibus, si expetita fieret illorum imminutio, satis fuisset Missam audire, excluso debito abstinendi ab operibus servilibus, sublatoque onere peragendi, quæ in aliis superioris ordinis Festis Christianus Populus debet implere.

§. 9. Hac via, si non omni, magna certe ex parte sublata essent mala, quibus, memorata de causa, congruens & opportunum a Nobis remedium postulastis. Enimvero bifariam divisis, ut præmonuimus, diebus Festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino sacrificio; celebratæ in illis Nundinæ nullum deinceps peperissent

absur-

absurdum, nec libertas operum servilium, cum interessentia Missæ compatibilis, refragari potuisset præcepto ab Ecclesia Fidelibus injuncto. Præterea nullus Urbibus, & Oppidis relictus fuisset timor, ne, cum Incolarum, & Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia imminueretur. Quippe juxta hypothesim præmissam, recolente adhuc Clero solemni ritu diem Festum intra Ecclesiam, sumptuoso ornatu, omnique nitore instructam; in ipsa Sacri concentus Musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent citatorum Equorum cursus, aliaque id genus, quæ Populi augere solent numerum, Mercatorum frequentiam, & Nundinarum celebritatem. Sed de re hujusmodi, veluti extranea, sermone relicto, ad propositæ quæstionis examen progredimur, dierum Festorum imminutione seclusa.

§. 10. Eruditioni vestræ, Venerabiles Fratres, ignotum non erit quod hac de re Theologi tradunt. S. Thomas *in 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad quartum* docet, arctiorem in antiqua lege fuisse observantiam Sabbati, quam sit in nova observantia diei Dominici; dieque Sabbato vetita fuisse opera, quæ non vetantur die Dominico. Cardinalis vero Cajetanus in Commentario ad hunc locum asserit, licere Villicis diebus Festis Urbem petere, ut calceos emant, & his similia. De Alma vero Urbe sermonem instituens, morem profert hac tempestate jam obsoletum; Inquit enim: *Licitum est diebus Festis emere, ac vendere Asinos, Equos, quia sic est consuetudo in publico foro in diebus Festis, spectante Mundo: hæc enim omnia ubi antiquata consuetudo, ac per hoc a Prælatis scita, cum sint omnibus notoria, licita sunt ex ipsa consuetudine, fundata super libertate Evangelica, qua non tenemur stricto jure Veteris Legis de observatione Festorum*. Cajetano subscribunt *Sylvest. in Summ. Verb. Negotium §. 2.*, *Sylvius ad S. Thom. 2. 2. tom. 3. quæst. 122. art. 4. §. Ad prius*, *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. c. 29. num. 3. ad plur. sequen.*, *Giballin. de Negociation. tom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2. num. 9. in fin.*

§. 11. Ejusdem sententiæ sunt etiam Ecclesiastici Juris Interpretes, ut videre licet apud *Fagnan. in cap. Multa numer. 54. & seqq. ne Cleric. vel Monac.* idemque sentiunt *Gonzal. in cap. Omnes nu. 8. de Fer.*, *Pirhing. ad Tit. Decret. de Feriis num. 18. Anaclet. eod. tit. num. 22. Engel. ibid. §. 2. nu. 13. Pikler. numer. 9.*, *Schmalzgrueber num. 23.* aliique multi, qui facile citatis addi possent. Nonnulli vero ex Doctoribus Sacrorum Canonum inter *Mercatus*, & *Nundinas* discrimen constituunt; Ac primos quidem Diebus Festis ex præcepto observandis permitti non posse censent, secus tamen alias; quoniam nonnisi

* Diebus Festis Populi habetur frequentia, celebrationi
* Nundinarum congrua & necessaria, teste *Cappon. disc-*
* *cept.* 91. *art. ult. num.* 4. Alii tandem docent, qua-
* vis consuetudine minime obstante, posse Episcopum in
* sua Diœcesi vetare, ne Mercatus, aut Nundinæ Fe-
* stis Diebus habeantur; idque præter alios asserunt *Cap-*
* *pon. loco cit. n. 6.*, *Gratian. decis. Marchiæ* 21. *Ven-*
* *trigl. in Prax. Rer. Eccles. tom.* 1. *Annot.* 16. §. 1.
* *n.* 19., *Zaul. ad Statut. Favent. tom.* 1. *lib.* 7. *ob-*
* *servat. ad rubric.* 2. *n.* 24., *Nicol. in Prax. Canon.*
* *tom.* 1. *lit. C.* §. 1. *n.* 44.
* §. 12. Ne quid præteriremus, consuluimus etiam
* illustriores Synodos Diœcesanas, habitas ab Episcopis
* Ditionis nostræ temporalis. In celeberrima Farfensi
* Synodo Cardinalis Caroli Barberini anno 1684.; & in
* Cæsenatensi Cardinalis Denhoff anni 1693. interdicitur
* quidem Mercatus diebus Festis, nihil tamen de Nun-
* dinis constituitur. In aliis nullo discrimine Mercatus
* prohibentur, & Nundinæ, ut constat ex Synodo Lau-
* retana Cardinalis Romæ anni 1626.; maxime vero
* deficiente Indulto, ut expresse decernitur in Senogal-
* liensi Cardinalis Antonii Barberini anni 1627., inno-
* vata anno 1737. ab Episcopo Isolano. Senogalliensi
* præterea Synodo Cardinalis Barberini consonat etiam
* Synodus Ariminensis Cardinalis de Via, edita anno
* hujus sæculi vicesimo quarto.
* §. 13. Congregationis Cardinalium Concilii Triden-
* tini Interpretum Responsa ad Episcopos, qui de suis
* Diœcesibus retulerunt, pari cura a Nobis perlecta sunt.
* De re ipsa consulta, rescripsit Episcopo Placentino,
* juxta antiquam consuetudinem sineret haberi Nundi-
* nas rerum parvi pretii die Festo S. Bartholomæi Apo-
* stoli, dummodo id non fieret in Atrio Ecclesiæ, ut
* ex *lib. Decret. anni* 1629. *lib.* 14. *pag.* 207. Episcopo
* Casalensi anno 1665. responsum fuit: curaret sedulo,
* ne Mercatus haberentur Festis diebus, sed transferren-
* tur in diem sequentem; omnemque pro viribus impen-
* deret solicitudinem, ut id ipsum imposterum fieret, *si*
* *privilegium, vel immemorabilis consuetudo non ad-*
* *sit.* Anno 1697. Episcopo Theanensi respondit; *Tole-*
* *rari posse Mercatus Diebus Festis, dummodo ad alium*
* *diem transferri nequeant, & ex eorum omissione jur-*
* *gia, & scandala exoriri possint.*
* §. 14. Probe insuper scientes, fieri non posse Nun-
* dinas sine expresso Supremi Principis permissu, cum
* id juris pertineat *ad Regalia, & quidem majora*,
* ad tradita per *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *cap.* 6. *num.*
* 30. hac etiam in parte opportunæ doctrinæ lumina
* quæsituri, non omisimus (ut paulo ante monuimus)
* inspicere Chirographa Summorum Pontificum Deces-
* sorum Nostrorum, qui veluti Supremi Provinciarum
* suarum Domini, eam facultatem multis Urbibus,
* & Op-

* & Oppidis concessere, haberique Nundinas indulserunt
* etiam diebus Festis institutis in honorem Domini No-
* stri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Genitricis ejus, fre-
* quentissime vero Sanctorum Patronorum Principalium,
* vel Titularium locorum, & Ecclesiarum, ad majo-
* rem Populi frequentiam, atque celebritatem concilian-
* dam.

* §. 15. Quæ omnia vel secum pugnantia, vel imple-
* xa, viam propositæ dissolvendæ quæstioni non compa-
* rarunt, immo potius difficiliorem, & abstrusiorem red-
* diderunt. Ne igitur ullæ diligentiæ Nostræ partes deess-
* sent pietati, & zelo vigilum Antistitum Responsa No-
* stra cupientium; his omnibus seorsim positis, manus
* admovimus Ecclesiasticis Historiis, & Conciliis, e
* privatæ Bibliothecæ Nostræ penu depromptis. Quibus
* pressius insistentes, semper tamen præ oculis habito
* præsenti rerum statu, longo usu & antiquitate fulto,
* significandum Vobis esse censemus.

* §. 16. Primo, Mercatus, & Nundinas Festis die-
* bus licere. Nundinas autem intelligimus, *quæ sunt*
* *de rebus majoribus, & semel in anno fiunt, vel ra-*
* *ro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt*
* *homines: Mercatus vero, qui fiunt in rebus minori-*
* *bus, ad quotidianas necessitates pertinentibus, &*
* *fiunt singulis septimanis, & ab Hominibus de vici-*
* *no ibidem convenientibus*: Verba sunt Venerab. Ser-
* vi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magistri Gene-
* ralis Ordinis Prædicatorum, in egregio opere *de erudi-*
* *tione Religiosorum Prædicatorum lib. 2. Tract. 2. nu.*
* *92. pag. 351. editionis Romanæ*. Id autem pronuncia-
* mus, non quia vendere, ac emere sit opus servile,
* ideoque vetitum diebus Festis, sed quia actiones hu-
* jusmodi impediunt & distrahunt Christifideles a cultu
* divino, ad quem dies Festi sunt instituti.

* Secundo: Antiquum profecto esse abusum Merca-
* tuum, itemque Nundinarum iisdem diebus.

* Tertio: Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas
* fuisse vetitas.

* Quarto: Hujusmodi justas sanctasque leges caruisse
* effectu.

* Quinto tandem: quia malum universale est, ac
* alte radices egit; opus est prudentia, & maturita-
* te, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet:
* Quod possumus exigendum est, non quod optamus.
* Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam mi-
* nis; & si minæ quandoque intententur, servan-
* dum est exacte monitum sapientissimum S. Augusti-
* ni in Epistola 22. ad Aurelium Carthaginensem Epi-
* scopum, qui agens de auferenda Conviviorum licen-
* tia totam passim Africam fœde occupante sub ina-
* ni obtentu honorandi Festa Sanctorum Martyrum,
* scripsit: *Non aspere, quantum existimo, non duriter,*

non modo imperioso ista tolluntur ; magis docendo, quam jubendo ; magis monendo, quam minando ; sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum ; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores ; quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.

* §. 17. Ad propositam a Nobis rationem firmandam, sufficit legere Catechismum Tridentini Concilii *par. 3. præcept. 3. n. 3.* ut simul addiscatur, in quæ opera Christifideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, Divino Sacrificio reverenter adesse ; Dei verbum attente, pioque corde audire ; Ecclesias frequentare ; mundare conscientiam ; Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. Diu ante Romanum Catechismum idipsum feliciter enunciatum fuit a Sancto Nicolao Papa hujus nominis I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum *Tom. 22. Collect. Concilior. editionis Regiæ num.* 10. *pag.* 441. : *Sane*, inquit, *sciendum est, quoniam idcirco in diebus Festis ab opere humano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus :* Inde etiam coacti in Conciliis Patres rationem potissimam hausere denunciandi, illicitam esse diebus Festis celebrationem Mercatus, & Nundinarum. Qua de re videnda Concilia Rhemense, ac Turonense habita anno Domini 1583. In eandem sententiam Narbonense anni 1609. decrevit : *Mercatus, Emporia, & Nundinæ nuspiam fiant diebus Festis, sed in antecedentem, vel subsequentem Festivitatis diem transferantur ;* Eorum porro Conciliorum verba fideli calamo recensentur a *Pouget in Institutione Catholic. Tom.* 1. *pag.* 724. *& sequentibus.*

* §. 18. Cæterum habendarum Nundinarum, & Mercatuum diebus festis corruptelam antiquo jam tempore invaluisse, plurima evincunt monumenta. S. Basilius Cæsareensis Archiepiscopus, qui quarto Christianæ Ecclesiæ sæculo vixit, in Regula Monachorum *interrogatione* 38. post stabilitum ipsorum laborem, propriis manibus dietim absolvendum, indicavit in *sequenti interrogatione* quomodo peracta opera vendi deberent, ut eorum pretio sustentarentur. Mox *in interrogatione* 40. scripsit : *Neque vero quoniam alii jam eam, quæ apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui cum pro se invicem orare debuissent, &*

una

* *una cum pluribus Deum adorare, & cum lacrymis*
* *implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere,*
* *gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese*
* *ædificare (quod adhuc nostra etiam memoria usita-*
* *tum, & observatum fuisse novimus); pro his omni-*
* *bus forum, Nundinasque, ac commune emporium &*
* *tempus illud, & locum efficiunt, continuo nos etiam*
* *hos imitari par est, ejusque rei participatione absur-*
* *da, & inepta confirmare*: ut videre licet *in Tom.* 2.
* *Operum* ejusdem S. Basilii *editionis Parisien. pag.* 346.
* Aurelius Cassiodorus Senator, & ab Epistolis Theodo-
* rici Regis Gothorum, qui vivebat sæculo sexto *in Epi-*
* *stola* 33. *lib.* 8. *tom.* 1. Festum celeberrimum descri-
* bens, quod in Lucania agebatur in honorem S. Cypria-
* ni Martyris, itemque Miraculum a Deo hac occasione
* edi solitum ad Fontem Marcillianum; mentionem pa-
* riter ingerit de Nundinis longe frequentissimis ad au-
* gendam Festi celebritatem ibidem institutis. *Quidquid*
* *enim* (inquit) *præcipuum aut industriosa mittit Cam-*
* *pania, aut opulenti Brutii, aut Calabri pecuniosi,*
* *aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere Provincia,*
* *in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur,*
* *ut merito tam ingentem copiam judices de multis Re-*
* *gionibus congregatam.* Jubet deinde Severo Provinciæ
* Præsidi, ut vim tumultuariam Villicorum quorundam
* comprimat, qui commeantes Mercatores spoliabant.
* Ad finem ejusdem sæculi vixit S. Gregorius Turonen-
* sis Episcopus. Is autem *in lib.* 1. *de gloria Martyrum*
* *c.* 32. *editionis Parisien. pag.* 758. describit nobile Fe-
* stum, quod in honorem S. Thomæ Apostoli fiebat Æ-
* dessæ, ubi sacræ illius exuviæ ex India translatæ quie-
* scebant. Fontem mirifice scaturientem memorat, po-
* tum confluentibus ad Festum, quod triduo agebatur,
* tribuentem: nec reticet liberas a vectigalibus Nundi-
* nas, quæ sacram celebritatem illustriorem reddebant:
* *In supradicta igitur Urbe, in qua beatos artus diximus*
* *tumulatos, adveniente Festivitate, magnus aggrega-*
* *tur Populorum Cœtus, ac de diversis Regionibus cum*
* *votis, negotiisque venientibus, vendendi, comparandi-*
* *que per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia*
* *datur.* Theodoricus Ruinartius in notis ad hunc lo-
* cum animadvertit, in quibusdam exemplaribus legi:
* *Negotiatoribusque venientibus*; in aliis vero: *Nego-*
* *tiisque venientes*: negotiique nomine res venales in-
* dicari: Tandem undecimo ineunte sæculo, cum Medio-
* lani in Templo S. Mariæ ad Portam septimo Idus Maji
* aliquot insignes Sanctorum Reliquiæ fuissent inventæ,
* constitutum est a Clero, ut ad perennem rei memo-
* riam Dies ipse quotannis Festus haberetur; Populus-
* que universus feriaretur, *tanquam in die Resurrectio-*
* *nis, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. Quo*
* *etiam die, ad frequentationem solemnitatis, statutum*

est annuale esse Mercatum, teste Landulpho Juniore *cap.* 2. suæ Historiæ, apud Muratorium *tom.* 5. *Collect. Script. rer. Italicar.*

§. 19. Quod autem vigiles Ecclesiarum Præsides nunquam omiserint, in hujusmodi abusum celebrandarum Nundinarum atque Mercatuum diebus Festis, invehere, agnoscere potestis ex *tom.* 4. *Anecdotorum Parisiis editorum* a Martene, & Durand. *pag.* 335. *&* 1133. Ex amplissima collectione Scriptorum, & monumentorum ab iisdem publicata, præsertim *tom.* 7. *pag.* 1401. *& tom.* 8. *pag.* 1006. 1560. *& sequen.* Itemque ex Labbeana Collectione Conciliorum editionis Parisiensis *tom.* 7. *pag.* 1177. *tom.* 8. *pag.* 111. *&* 127. *tom.* 9. *pag.* 421. *&* 584. *tom.* 13. *pag.* 1380. *& tom.* 14. *pag.* 702. Inter Acta Mediolanensis Ecclesiæ idipsum liquet ex Tertio Provinciali Concilio, & Undecima Synodo Diœcesana S. Caroli. Quod si id genus testimonia ex Canonico quoque Jure petenda sint; in prima Decretali sub *Titulo de Feriis* vobis occurrit præceptum, quo jubentur Christifideles *diebus Dominicis ab omni illicito opere abstinere, ut in eis Mercatus minime fiat.* Quo nomine comprehenduntur etiam Nundinæ, ut in Commentariis ad allegatum Textum docent plerique Canonici Juris Interpretes. Præterea in Bullario Romano extat Constitutio quinta S. Pii V. in cujus §. 8. Pontifex vigilantissimus cavit: *Ut omnes Dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Divinis Officiis devote intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant.*

§. 20. Adversus tot saluberrimas Ecclesiæ Sanctiones provide editas, suborta jam diu corruptela adhuc perseverat, & a Populis pertinaciter retinetur non in nostra solum temporali Ditione, verum etiam in tota Italia, ut testatur Muratorius *tom.* 2. *Antiquitatum Italicarum dissert.* 32. ubi postquam asseruit magnis Mercatibus tributum fuisse nomen *Feriæ*, vulgo *di Fiera*: *Hisce vero hoc nomen inditum, quod plerumque diebus feriatis haberentur, hoc est, in Natali alicujus Sancti, aut Dominicis Festivitatibus*, opportune ad rem prosequitur: *Quem morem parum alioqui laudabilem adhuc Italia servat*: In Transalpinis quoque Provinciis idem abusus, antiquo tempore invectus, hodie viget; quemadmodum videre licet apud Theologos, & Sacri Juris Interpretes a Nobis paulo ante memoratos, qui tamen patrium morem, etsi minus probum, excusant obtentu Indulti, vel consuetudinis antiquæ constanter toleratæ. Quapropter suspicari merito possumus, toti fere Orbi Christiano accidisse,

quod in Anglia contigit duodecimo Christi Sæculo. Abbas Flajensis, ut refert Matthæus Parisius, subjectæ sibi regionis Populis vetaverat Mercatus, & Nundinas diebus Dominicis, quamvis illæ in tota Anglia fierent; sed vix aliquandiu relicto abusu, in vetitum morem Gentes illæ rediere: *Veruntamen tempore procedente, plerique, ut canes, ad vomitum sunt reversi.*

§. 21. Reliquum modo est, ut dispiciamus, quod ultimo tandem loco expendendum proposuimus, quo scilicet remedio prudenter ac salubriter uti debemus, ut grassans ætate nostra tollamus absurdum.

§. 22. Debito procedentes ordine, *Mercatus a Nundinis* distinguimus. Textus Juris Canonici paulo ante allegatus in *cap. 1. de Feriis* loquitur de *Mercatu*. Idem quoque Verbum in Constitutione sua usurpat S. Pius V. Communis præterea sententia est, (quidquid sit de Nundinis) Mercatum haberi non posse Diebus Festis, sed esse transferendum in antecedentem, vel in subsequentem diem, si in Festum inciderit. Huic regulæ Nos inhæsimus, facultatem tribuentes die 9. Maji 1742. Viro Nobili Ferrariensi habendi Mercatum in suo Rure qualibet feria quinta, dummodo in illam non inciderit Festum servandum ex præcepto; quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi ansam præcidentes, Vobis per hæc Apostolica scripta mandamus, ne in Diœcesium Vestrarum Urbibus, & Locis *Mercatus* fieri Festis Diebus patiamini.

§. 23. Libentius præterea id Vobis præcipimus, quia post sedulum ac maturum examen, consentanee idipsum decrevit die 2. Maji 1711. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in Causa *Ripanæ Mercatus*, ut *ex lib. 61. Decretor. pag. 203. a terg.* Quod Decretum Apostolica auctoritate Nostra comprobantes, instar regulæ volumus, ac in omnibus Temporalis Ditionis Nostræ Provinciis, Urbibus, ac Locis S. Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectis, inviolabiliter observari præcipimus. Decreti hujusmodi sequens est exemplum: *Cum modernus Episcopus Ripanus de mense Septembris* 1709. *Edictum typis mandaverit super observantia dierum Festorum, in quo signanter illud præscripsit* §. 2. *Le Fiere, che sogliono farsi in alcune Feste determinate dell' anno, si tolerano dopo celebrata la Messa Maggiore; Ma i Mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche Festa, si trasferiscano nel giorno antecedente, o susseguente, non festivo, secondo la disposizione di tutti i Sinodi Diocesani da' nostri Antecessori stampati sotto le infrascritte pene &c. Nihilominus Civitas, & Homines Ripani ad impediendam ejusdem Edicti promulgationem, ex asserta im-*

* *memorabili consuetudine habendi Mercatum in die*
* *Sabbati, etiamsi in eum incidat dies Festus, obtinuerunt ab A. C. Monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto Dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde a Partibus momentis disputari: An liceat Communitati, & Hominibus Ripæ habere Mercatum die Sabbati, intus, vel extra Civitatem, quando occurrit quod sit dies festivus in casu &c. Die 2. Maji 1711. Sacra Congregatio Concilii respondit NEGATIVE, & hujusmodi causam amplius non proponi mandavit.*

* §. 24. Et sane nullum hic locum habet quævis consuetudo, etiam immemorabilis, ut, omissis generalibus jurisprudentiæ regulis, perspicue liquet ex aliis momentis mox adducendis. Ante memoratam Causam Ripanam, proposita in Congregatione Concilii fuit alia, inscripta *Barchinonen. Observationis Festorum*: Contendebant Mercatores Barchinonenses, vendere posse Merces suas diebus Festis, consuetudine fulti immemorabili, rite probata, ac etiam speciem, & imaginem necessitatis præferente. Finitimorum siquidem Locorum Incolæ reliquis hebdomadæ diebus victui quærendo, ac laboribus intenti, nonnisi die Festo ad Urbem accedebant. Adversante nihilominus Episcopo, Causa proposita fuit in Congregatione, quæ die 13. Maji 1669. respondit: Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. Putarunt tamen Mercatores succumbentes, hujusmodi rescripto fundamentum præbuisse opinionem ingestam forte Partibus: *Se distrahere velle Merces apertis Apothecarum foribus*. Instaurato proinde judicio, ac mente patefacta, validiore conatu objectæ consuetudini immemorabili institerunt. Congregatio tamen die 27. Martii 1683. in priori sententia, & decreto perstitit, silentiumque Mercatoribus imposuit.

* §. 25. Mercatibus succedunt *Nundinæ*, quarum respectu propositum nostrum esset ea decernere, quæ de Mercatibus statuimus, pleno corde illis inhærentes, qui Festos Dies, qua decet cura ac sedula religione, sanctificari a Christifidelibus cupiunt, & pro viribus enituntur. Sed ne pejora contingant absurda, præcipimus quod possumus, non quod optamus.

* §. 26. Neminem certe latet, quo flagraverit zelo, quantumque divini honoris fuerit studiosus, celebratissimus Pontifex Alexander III. Noster Prædecessor: Ratione tamen pari, ac necessitate compulsus, indulsit quibusdam Populis, ut diebus Dominicis, aliisque Festis, piscarentur, majoribus dumtaxat Solemnitatibus exceptis; dummodo piscatione peracta, congruen-

* tem eleemosynam impertirent vicinis Ecclesiis, &
* pauperibus Jesu Christi, ut habetur *in Cap. licet. de*
* *Feriis*.

* §. 27. Dum in minoribus constituti a Secretis era-
* mus memoratæ Congregationis Concilii Tridentini In-
* terpretis; præ manibus habuimus Indultum fel. record.
* Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, qui ad preces cu-
* jusdam Abbatis Ordinis S. Benedicti Diœcesis Gerun-
* den. facultatem impertitus est piscandi Diebus Festis
* Habitatoribus Castri, mari adjacentis, post auditam
* Missam, & post meridiem, adjecto onere tribuendi
* Abbati, ejusque Monasterio tertiam lucri partem,
* in Ecclesiæ instaurationem pie erogandam. Quæ con-
* ditio progressu temporum cum nimis onerosa visa sit
* Piscatoribus, paupertate pressis, & exhaustis dispendio
* quod Naves Piscatoriæ exigebant; re ad Sacr. Congre-
* gationem delata, imminutum fuit primævum onus ad
* septimam partem, ut ex *Decreto die* 24. *Augusti*,
* 1720.

* §. 28. Fatemur sane, necessitatem, quæ sese Ale-
* xandro III. objecerat, cum illa, in qua versamur,
* non esse conferendam. Nostra tamen gravis est, si illa
* fuit gravissima. Durum enim est, atque asperum id
* Populis adimere, quod Decessores Nostri peculiaribus
* Literis indulserunt: Res præterea hujusmodi conditio-
* nis est, quæ pluries vetita, atque sublata, denuo in
* pristinum morem emersit: De ipsa non una est Theo-
* logorum, & Canonistarum sententia: Quinimo aliquot
* doctrina, & pietate illustres illam illicitam non ha-
* bent. De re tandem agitur, qua sublata, minueren-
* tur Populorum commoda, atque commercia, humanæ
* vitæ longe opportuna. E contra vero retineri alio mo-
* do non potest, quam quo viget; Etenim difficillimum,
* ne dicamus impossibile, deprehenditur, frequentes ha-
* beri posse Nundinas extra dies Festos, quibus confer-
* tim Populi confluunt, quovis alio soluti labore, ac ne-
* gotio.

* §. 29. Inter Nundinas, quæ in Provinciis nostris agun-
* tur, Illustriores, ut bene nostis, sunt Senogallienses
* protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam
* Senogalliensi finitimam regeremus, non sine mœrore
* intelleximus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Fe-
* sto etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus Divino
* cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo oc-
* currere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Con-
* stitutionem Nostram de Nundinis Senogalliensibus pu-
* blicavimus, qua præter cætera jussimus, ut Diebus
* Festis Apothecæ clauderentur; Neque matutinis horis,
* aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ec-
* clesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nuntiatur,
* Contractus fierent. Imminutum vero hac de causa
* sæcularibus negotiis tempus compensaturi, Nundina-

* rum dies, cum iisdem Privilegiis & immunitatibus,
* opportune multiplicavimus. Exequutioni debitæ jussa
* nostra hoc anno mandata, meliorem atque utiliorem
* rerum ordinem pepererunt, magno omnium Civium,
* & bene moratorum hominum solatio.

* §. 30. Id ipsum, Ven. Fratres, & vos agite. Con-
* stituite, Auctoritate Nostra, matutinas & vespertinas
* horas, quibus Festo Die, quo Nundinæ habentur,
* claudi debeant Apothecæ, nec publica possint exerceri
* commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missæ
* Sacrificio, & Divinis Officiis intersint, aliisque Chri-
* stianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut o-
* mnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per Pu-
* blicum Edictum non prætermittemus extendere Nundi-
* narum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non
* erit, ut temporalia negotia paucarum horarum spatio,
* propter Dei cultum & animarum salutem, intermissa,
* integri diei accessione commode peragantur.

* §. 31. Hæc sunt, Ven. Fratres, quæ post maturum
* examen, auditamque gravium atque doctorum Virorum
* sententiam, de proposita quæstione Vobis significanda
* censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem
* peramanter impertimur.

* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die
* quinta Novembris millesimo septingentesimo quadrage-
* simo quinto Pontificatus Nostri Anno VI.



IN-

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM in hoc Sexto Tomo contentarum ordine Alphabetico.

A

Ame-

B

C

D

E

G

H

I

Magia

M

N

Patri-

Q

R

Præ-

S

Syn.


T

V

FINIS.








MOR
GENE